

1754  
12.

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS  
DE  
**METHODO SCIENTIFICA**  
E IV S Q V E  
**APPLICATIONE**  
AD  
**LINGVAS DOCENDAS**

Q V A M  
CONSENTIENTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
PRAESIDE ATQVE PROMOTORE  
VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO  
D O M I N O

**IOANNE FRIDERICO**  
**STIEBRITZIO**

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET  
CAMERALIVM PROFESSORE ORDINARIO  
LONGE CELEBERRIMO,  
PRAECEPTORE ET PATRONO SVMMA PIETATE  
AETERNV M COLENDO

PRO SVMmis IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS

D. XVII. AVGVST. A. MDCLIV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B I L I C T

AVCTOR RESPONSVRS

**FRIDERICVS MAXIMILIANVS MAVRITII**  
LOERRAGO - BADENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNBERTI

(11)



VIRIS  
SVMME VENERANDIS  
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS  
DOCTISSIMIS

DOMINO  
GOTTHILF AVGUSTO  
FRANCKIO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI  
PVBLICO ORDINARIO, ORDINIS THEOLOGORVM  
SENIORI, PRIMAE DIOECESOS CIRCULI SALANI  
INSPECTORI, MINISTERII HALENSIS SENIORI,  
PAEDAGOGII REGII ATQVE ORPHANOTROPHEI  
GLAVCHENSIS DIRECTORI, TEMPLI B. M. V.  
ECCLESIASTAE, ILLVSTRIS SOCIETATIS ANGLICAE  
DE PROMQVENDA CHRISTI COGNITIONE

MEMBRO

DOMINO  
CHRISTIANO BENEDICTO  
MICHAELIS

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI EIVSQVE VT ET  
LINGVARVM ORIENTALIVM ET GRAECAE PROFESSORI  
PVBLICO ORDINARIO, ORDINIS PHILOSOPHORVM  
H. T. DECANO SPECTATISSIMO

D O M I N O  
SIGISMVNDO IACOBO  
BAVMGARTEN

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI  
PVBLICO ORDINARIO, SEMINARII THEOLOGICI  
DIRECTORI, MENSARVMQVE REGIARVM EPHORO,  
ORDINIS THEOLOGORVM H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
ILLVSTRIS ACADEMIAE SCIENTIARVM  
BEROLINENSIS MEMBRO

D O M I N O  
IOANNI HENRICO  
CALLENBERGIO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI EIVSQUE AC  
PHILOSOPHIAE PROFESSORI PVBLICO  
ORDINARIO

D O M I N O  
IOANNI GEORGIO KNAPPIO  
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI  
PVBLICO ORDINARIO

D O M I N O  
IOANNI SALOMONI  
SEMLERO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI  
PVBLICO ORDINARIO

MAECENATIBVS AC PRAECEPTORIBVS  
SVMMA PIETATE AETERNVM COLENDIS  
HANC Scriptionem ACADEMICAM

D. D. D.

S I M V L

PRO TANTORVM VIROVVM INCOLVMITATE  
VNIVERSAE ECCLESIAE ATQVE ORBI LITTERARIO  
FAVSTA AC SALVTARI  
VOTA NVNCVPAVIT ARDENTISSIMA

ET

PRO OPTIMIS PRAECEPTIS

Q V I B V S

INCOMPARABILES ILLI PRAECEPTORES  
IPSVM IMBVERVNT

NEC NON

PRO SVMMMA LIBERALITATE  
QVA IPSIVS INOPIAM SVSTENTARVNT

HOC QVALECVNQVE

GRATI ANIMI AC PIETATIS MONIMENTVM

QVVM A LATERE PATRVM ILLORVM  
NVNQVAM SATIS VENERANDORVM

ATQVE

A COMPLEXV ALMÆ MATRIS FRIDERICIANAE

LVGENS MOESTVSQVE DISTRAHERETVR

PIA MANV POSVIT

T A N T O R V M   V I R O R V M

CLIENS OBSEQUENTISSIMVS

FRIDERICVS MAXIMILIANVS MAVRITII.





## PRAEFATIO.



ogitanti mihi, quodnam potissimum argumentum eligere, quo ad disputationem proposito specimen aliquod iis exhibere possem, qui de dignitate mea amplificanda humanissime decreverunt: hoc, quod iam qualicunque meo studio pertractatum est *de methodo scientifica*, eiusque ad linguas docendas applicatione, in primis se mihi commendauit. Primum enim delibерandum erat, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Iam, quum ab adolescentia mea hanc vitae rationem iniissem, ut praeter doctrinas sanctiores, quibus mihi nihil prius nihilque antiquius esse debere, vti fas est, semper iudicauit philosophiam atque philologiam tractarem, ut *tum* haec duo studiorum genera inauspicio a nonnullis determinata, amice coniungerem, atque unum alterius opibus confirmarem; *tum*, quicquid in utroque literarum genere didicissem, id omne ad praestantissimam theologiae scientiam referrem: fieri non poterat, quin, *de methodo scientifica* saepius mibi

## P R A E F A T I O.

*mibi meditandum esset, et quod multi ante me eundem studiorum cursum tenentes animaduerterunt, a me quoque observaretur, quantum ex ea methodo, quae a mathematicis diutissime culta, a philosophis veteribus paulo negligentius adhibita, a recentioribus autem postliminio reuocata est, si ad linguarum doctrinam rite applicaretur, vtilitatis redundaret. Accessit, quod, quum haec mihi vita contigisset, vt pueris adolescentibusque, cum in omni humanitate, tum in linguarum studio erudiendis me tradere, non una mihi ratio suaderet: hos decem annos, quos eo labore consumsi, experientia me eam rem potuisse docere, si ratione cedere noluisssem. Quare non sum veritus, ne hoc, quod mihi delegi, argumentum a me meis que studiis alienum videretur. Deinde non ea res hic disputatur, quam nemo mortalium unquam in dubium vocavit: sed ea, quae magna animorum contentione et antea et hodie inter eruditos agitata est. Fuere, qui omni usui methodi scientificae extra matheſin autoritatem suam opposuerunt. Alii vero paulo mitiores usum illius methodi in philosophia concedentes magna tamen voce istis occlamarunt, qui eam in doctrinis *positiuis*, vtia nonnullis vocantur, vt in *Iurisprudentia*, vt in *Philologia*, conati sunt adhibere. Quare operae pretium fore existimaui, quid sit, quod tanto fervore disceptatum sit, accurate videre. Tum saepe animadverti alienam methodi scientificae notio- nem esse suscepitam, tam ab eorum quibusdam, qui istam methodum strenue defenderunt, eamque etiam ad linguas docendas applicare sibi sumserunt, quam ab eorum nonnullis, qui istius methodi in linguis do- cendis,*

## P R A E F A T I O.

cendis, aut facultatem, aut usum in dubium vocarunt. Itaque omne certamen amice componi posse arbitrabar, si paulo distinctius, quam a quibusdam factum est, illius methodi controversae vera notio explicaretur. Vnde factum est, ut, quum nobis alias brevioribus esse in causa, quam suscepimus, defendenda licuisset, nobis placeret, integra *sectione prima* de methodo scientifica, quedam generaliora proponere: et in *sectione altera*, vbi tam *possibilitas*, quam *utilitas* methodi scientificae ad linguas docendas applicatae disputatur, *cautiones* non paucas addicere, quarum neglectio multos isti methodo infensos reddidisse videbatur. Qua quidem re illud effecisse mihi video, vt, nisi me omnia fallunt, multi, qui methodum scientificam ubique atque adeo in linguis eriam docendis crepant, perperam eandem et intellectissime et applicasse a me crederentur, alii vero eandem methodum rite adhibuisse mihi viderentur, qui id forsitan ne suspiciati quidem sunt. Quod quidem multis exemplis potuissent declarare; imo declarasse, nisi me alias rationes monuissent, ne hoc tempore id facerem. Quam bene maleue argumentum his rationibus, quas iam adduxi, electum, a me pertractatum sit, tibi L. B. integrum iudicium esto. Paucis tamen monendum es, atque rogandus, *primum*, vt si quid vitii a me commissum deprehenderis, id homini in scribendo, quod publice placere possit, plane inexercitato condones; *deinde*, vt orationis neglectiorem cultum, cui ego perpoliendae multis rebus, quae et animum & corpus labefactare poterant, perturbatus, fere nihil operae tribuere poteram, aequi bonique consulas.

## SECTIO





SECTIO L  
DE  
METHODO SCIENTIFICA  
QVAEDAM GENERALIORA.



Cogitationum ordo, qui ab illarum auctore regulis  
clafe cognitis accommodatur, *Methodus* dicitur: Quid sit Methodus?  
quae igitur locum non habet, nisi 1) plures inter  
se cogitationes iungantur; 2) in hac coniunctione  
similitudo quaedam seruetur vel in genere, quo  
sibi inuicem affines sunt cogitationes copulatae, vel in loco,  
quo quaque collocantur, conspicua; 3) atque haec similitudo  
ita seruetur, vt auctor regularum, e quarum constanti  
vsi similitudo ista enascitur, conscius sit, vel olim fuerit.

Distinxerunt osim scholasticī dōctores methodum ab ordinē cogitationis,  
nam, arque illam dixerūt *intellectuale instrumentum faciens ex notis co-*  
*gnitionem ignoti*: vt ita methodum et syllogismum paene p̄o iisdem  
haberent; illique colligendi arque inferendi vim tribuerent, ordinē  
disponendi potestatēm relinquentes. *Conf. Iac. Zuburellae Opp. logica*  
*ed. Basil. 1594. p. 223, seq.*

A

§. II.

## 2 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

### §. II.

*Methodi ge-  
nera et for-  
mae.*

Varia methodi traduntur genera, quae omnia afferre nimis longum foret: præcipua tamen enumerare placet, vt eo melius deinde de methodi scientificæ et discrimine ab aliis, et coniunctione cum reliquarum quibusdam constitui possit. Gratum fortasse facimus lectori, si sequenti tabula potiora methodi genera ita exponimus, vt eorundem notiones nobis informauimus. Diuiditur *methodus*

I. ratione diuersarum mentis facultatum, quibus cogitationes nostræ gignuntur. Itaque *methodum aliam sensuum, aliam imaginationis, ingenii aliam, aliam rationis etc. effe dicunt.*

II. Ratione perfectionis, quam methodo aliqua adhibita in cognitione nostra obtinere possumus. Nam, si

1. nulla insignis virtus per methodum cognitioni nostræ conciliatur, *vulgaris* illa dicitur.

2. si autem accommodatur methodus ad cognitionem nostram perficiendam, *artificialis* ea est, et  
1) *pulebra* quidem, si cognitionis veneres per eam iuvantur,

2) *erudita* autem, si perspicuitas solida per eam obtinetur, et in primis

(1) si distincta cogitatio totius in partes disiecti aut generis in formas seu species diuisi promouetur, *Methodus scholæ* dicitur, quae *tabellaris* est, si membra divisionis aut partitionis peculiaribus signis distinguuntur. Quodsi in methodo scholæ partitio vniuersae tractationis secundum quatuor causarum genera instituitur, *Methodus causarum* adhiberi dicitur.

(2) si scientia per methodum obtinetur, *scientifica* haec vocatur.

III. Ratione significacionis atque expositionis cogitationum nostrarum. Sunt enim hæc

1. vel proponendæ aliis atque tradendæ, quæ disponuntur *Methodo proponendi*. Atque haec varie iterum diuiditur

1) 12-

## QVAEDAM GENERALIORA.

3

- 1) ratione habitus orationis externi;
    - (1) aut enim unus duntaxat per vniuersam orationem agit apud auditores vel lectores, *methodo exegematica* a nonnullis dicta,
    - (2) aut plures inter se colloquuntur vel saltem colloqui finguntur, *methodo dialogica*; quae *Socratica* tum imprimis vocari meretur, si is, qui interrogat, dissimulat, se docere aut refellere.
  - 2) pro diuersa eorum, apud quos agimus, seu, quibus cōgitata, exponimus, inde. Sunt enim hi  
(1) vel cognitione aliqua initiandi, et primum imbuendi: quibus accommodatur *Methodus docendi*. et si fuerint
    - a) rudiiores: adhibetur *methodus exoterica*; quae utissime dialogica est, et tunc *catechetica* vocatur.
    - b) politiores; methodus his accommodata *acroamatica* dicitur, et ob maiorem attentionis vim in iis, qui docentur, plerumque exegematica est, atque tam copia sententiarum, quam proponendi easdem modo magis affurgit, quam exoterica, ut digna fiat exercitatoribus;
  - (2) vel in cognitione iam aquisita confirmandi atque augendi. Quae his conuenit methodus vel dialogica esse potest, vel exegematica. Potest ea *declamatoria*, aut, si mauis, *platonica* cum nonnullis appellari, si regulae pulchrae orationis simul obseruantur.
2. vel nobiscum solis agitandae. Quae in his adhibetur methodus quem non habeat peculiare nomen, posset dici *methodus tacitae cogitationis*.

Consulto abstinemus, plura de his methodi generibus afferre, cum omnis disputatione de methodo scientifica futura sit. Quicquid de huius inde et formis, itemque de coniunctione illius cum aliis methodis dici in rem nostram potest, iam signillatim persequemur; ordientes a diligenter scientiae ipsius, ad quam eo felicius obtinendam accommodatur ista methodus, confederatione.

A 2

§. III.

## 4 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

### §. III.

*Quid sit  
scientia.*

Iam ab ultimis temporibus scientia a cognitione in generali distinguebatur: neque tamen in hac arctiore huius vocis acceptione vel veteres vel recentiores satis sibi constabant. Itaque, ut omnis ambiguitas tollatur, recensebimus varias, quae huic verbo subiectae sunt, significations, et quamnam earum nostram facturi simus, declarabimus. Scientiae nomine insinuat 1) quaevis cognitionis certa. 2) talis cognitionis habitus. 3) cognitionis certa non publica et vulgaris, sed erudita. 4) eiusmodi cognitionis habitus. 5) cognitionis certa ex principiis certis; quo significatu Aristoteles cum suis scientiam ab intellectu seu eiusmodi principiorum cognitione, quea non ex aliis rursum colligi queunt, seinxerit. 6) cognitionis certa ex rationibus internis: quo significatu scientia ab experientia et fide distinguatur. 7) cognitionis certa rerum necessariarum, quae aliter esse non possunt; quo significatu Aristoteles olim scientiam a prudentia et arte in rebus contingentibus versante, segregavit. Nos in posterum tertiam acceptiōnem quartā non exclusa retinebimus, ira, ut duo priores significatus, vtpote nimis lati ambitus, paulo liberaliores; reliqui autem post quartum nimis seueri esse nobis videantur.

Significatu primo Socrates pronuncianit *nihil sciri*: quare Cicero Academicorum castra fecerunt, qui a Socrate profecti sunt, in eiusque auctoritate certe libenter delitescebant, Lib. I. de nat. deorum c. 1. prononciavit, *principium philosophiae esse inscientiam*, quo de loco cf. Excell. Io. Aug. Ernesti, de Cicerone et litteris humanioribus immortaliter meriti, Clavis Ciceronianæ, sub voce *inscientiae*. Scientiam significatu seprimo cum intellectu coniunctam *sapientiam* Aristoteles vocavit, et quinque fecit habitus intellectuales, *scientiam*, *intellectum*, *sapientiam*, *prudentiam* et *artem*. cf Zabarelli, op. log. §. 1) p. 4. Nolumus *objectionem* significatum, quo *scientia* est *disciplina demonstrata*, septem illis annumerare; quam in his omnibus subiective sumatur vox scientiae; in *objectione* autem significatu *objectione* eadem accipiatur.

### §. IV.

*Cuiusmodi sit  
scientia no-  
tio significan-  
tu fusus de-  
claratur.*

Scientia igitur, vt nos hanc vocem consentientibus plurimis philosophorum recentiorum accipimus, est cognitionis erudita, quatenus est certa. vocamus autem cognitionem eruditam, quae

## QVAEDAM GENERALIORA.

quae est distincta, et reliquis perfectionibus, quae cum distinctione una stare possunt, praedita est. Hac nobis definitione data et concessa, largiendum quoque erit, quod recta inde ratione deducere posse nobis videmur. Itaque 1) cognitio, quae scientiae nomen tueri debeat, certa sit necesse est: atque adeo non solum vera, ab omni contradictione et pugna interna immunis, et quae cum aliis cognitis perspectisque simul stare possit; sed etiam a nobis tanquam vera clare agnita et perspecta: ita, ut signa et rationes cognoscamus, quae nos admonent, ut illam pro vera habeamus. 2) Neque tamen quaevis cognitio certa continuo est scientia: ad quam potius accedere debet acuta illa perspicuitas et distinctio. Imo neque copia cogitationum, neque dignitas, nec denique accommodatio ad felicitatis studium abesse debet. His enim rebus cernitur cognitio erudita, quam ad scientiam requiri mus:

### §. V.

Diximus §. IV. scientiam esse cognitionem certam. Sed certitudo est vel completa vel incompleta, quae *moralis* dicitur, si rationes, quibus nascitur, contrarii suspicioneum longe superant. Item alio respectu certitudo est vel *distincta*, vel *confusa* f. *sensuina*: et distincta iterum vel *adaequata*, vel *inadaequata*. Porro, si certitudo distincta simul sit completa, potest ea esse vel *determinata*, vel *abundans* et *ambitiosa*. Certitudo completa et determinata, quae simul, quantum licet, adaequata est, *mathematica* vocatur. Et, quoniam completa certitudo omnem contrarii formidinem pellit, atque adeo in ea necessitas quedam earum rerum cognoscitur, quarum est ea certitudo; haec autem necessitas vel *absoluta*, vel *hypothetica* esse possit: apposite a nonnullis *certitudo mathematica* classibus distinguitur, ut alia sit *primi ordinis*, alia *secundi*; quarum *prior* tum locum habere dicitur, cum rem absolute necessariam esse perspicimus, *altera* autem earum rerum est, quae modo fortuitae sunt et contingentes, at hypothetice necessariae. Haec autem distinctio non modo ad mathematicam certitudinem restringi debebat, sed etiam ad quamlibet

*Quaeam certitudo sit in scientia?*

## 6 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

completam extendi. Quae quum ita sint, quaeri potest, quodnam certitudinis genus ad scientiam pertineat. Sunt, qui eam modo certitudinem scientiam dicant; quae completa sit et distincta, imo sunt, qui mathematicam illam primi ordinis tantummodo scientiae nomen mereri pronunciant (§. III.). Quorum sententia, nisi eo valeat, ut omnis alia cognitio pro incerta habeatur, non opus est ut refellatur. Hanc tamen isti nobis libertatem relinquunt, ut, quoniam ipsi vocabulum scientiae arctius restringunt, nobis paulo latius idem accipere liceat, quum in rigidis terminorum significatis eum potissimum eligendum iudicemus, qui usui a plurimis recepto, et loquendi consuetudini maxime conuenit. Itaque 1) certitudo, quae scientiae attribuenda, est illa quidem potissimum completa: non autem negatur scientiae honos aut illi doctrinae, in qua multa adhuc nondum satis demonstrata, et quae faltem probabilita fuit, deprehenduntur; a potiori enim hic quoque sit denominatio, aut ei, cuius certitudo incompleta quidem est, ac moralis. 2) in scientia potissimum queritur distincta certitudo §. IV. n. 2. sed, licet neque iudiciorum intuituorum, neque principiorum primorum certitudo distincta sit; tamen ea sciri dicuntur, atque ad scientiam referuntur. 3) Certitudo adaequata neque eorum esse potest, quae proxime ex principiis primis deriuantur, neque eorum, quae experientia immediata nituntur: et tamen haec, quae diximus a scientia non excluduntur. Licet igitur certitudo adaequata queratur omnino in scientia §. IV. n. 2. tamen eorum etiam rerum scientia esse potest, quae quidem certae sunt, at non adaequata certitudine a nobis cognoscuntur. 4) Quamvis in scientia consulto omnia ambitiosa refescuntur, atque adeo ostentationem istam rationum et argumentorum plurium, quae oratorem iuuat, erudit facili abesse a demonstrationibus ad scientiam comparatis patientur: non tamen haec laudabilis breuitas ita coarctanda est, ut nullibi plures vnius scientiae demonstrationes asserri sinamus, et in eam opinionem ingrediamur, quasi certitudo nil quicquam augearur rationum maiori copia. Sit igitur certitudo, quae scientiae est, determinata,

## QVAEDAM GENERALIORA.

7

minata, neque tamen nimis circumscripta. 5) Non igitur existimandum est, omnem scientiam ponit in mathematica certitudine: multo minus, 6) mathematicam certitudinem, quam primi ordinis diximus, ita esse scientiae propriam, ut scientia sine ea nulla sit.

### §. VI.

Certitudo est clara veritatis cognitio; omnis autem clari-  
tas efficitur characteribus cognitis: Ergo nulla certitudo lo-  
cum habere potest, nisi cognoscantur veritatis characteres,  
seu, vt alias vocantur, principia. Ergo nec scientia sine  
eiusmodi principiis esse potest. Sed quoniam, quod clare  
cognoscimus, eius characteres saepe obscure duntaxat perci-  
pimus; inde fit, vt in clara veritatis cognitione idem nobis  
eueniat. Quae confusio vel necessitatibus aliqua nobis impera-  
tur, vt in principiis primis, quorum vltiora principia no-  
bis clare cognoscere datum non est; vel sponte a nobis susci-  
pitur, ratione vel laudabili, vel illaudabili et opprobrio digna.  
In scientia, qua non solum est cognitio certa sed erudita  
etiam, in qua igitur certitudo erudita inest, abesse debet  
omnis illaudabilis confusio. Ergo tum demum scientia polle-  
mus si non solum ipsam rei veritatem clare cognoscimus, sed  
principiorum etiam et characterum veritatis conscius sumus,  
nisi horum characterum complicata notio vel necessitatis ali-  
quid habeat, vel laudis etiam.

*Principia ve-  
ri in scientia  
esse cogno-  
scenda.*

### §. VII.

Iudicium, cuius veritas ex solo illo principio: *quicquid De principio-*  
*experimur id verum est*, ad idem applicato intelligi potest, id *rum veritatis*  
*sola experientia comprobari* dicitur. Hic ergo analysi logica *discrimine,*  
subiecti et praedicati ad certitudinem non est opus. Iudicium,  
cuius veritas ex solo illo principio; *cuius rei testis locuples au-*  
*tor est, ea vera est*, rite ad idem applicato perspicere potest id  
*solis testimonii nisi* dicitur; neque hic analysi logica subiecti  
et praedicati quicquam ad certitudinem opus est: licet ad  
questionem praeiudicialem num tale iudicium per testimoniū nobis asseuerari possit, saepe requiratur, vt inquiramus,  
anne praedicatum subiecto contradicat, ad quam rem utique  
aliqua



## 8 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

aliqua analysis conceptuum nonnunquam opus est. Quoniam igitur principia veritatis talium iudiciorum aut experientia sola, aut solis testimoniis comprobatorum non ex analysi subiecti et praedicti eorundem petuntur, ideo iudicia illa *principiis externis effici* dicuntur. Sed si iudicium aliquod verum esse perspicitur, notionibus subiecti et praedicti inter se collatis, tum *interno* illud *principio nisi* dicitur. Posterioris generis iudicia etiam *ex ratione certa* esse licet non satis commode dicuntur. Hinc intelliges, quid sibi velint, qui experientiam, fidem et rationem, seu scientiam, ut nonnulli hanc vocem usurpant, §. III. n. 6. tres fontes omnis certitudinis nuncupant. Saeppe etiam ex his fontibus coniunctis hauritur alicuius iudicij certitudo: quod multiplici ratione fieri potest. Iam enim experientia et fides conspirant, ac dupliciter quidem, primum, si iudicium et experientia et fide, deinde si *partim* experientia, *partim* fide comprobatur. Iam experientia et ratio, fides et ratio, et haec quoque cum fide et experientia anime conspirant. Si ei principia alicuius iudicij quae sunt propositiones logicae de veritate praecipientes, *formalia* vocantur, et quae non sunt *formalia*, *materialia*, appareat rationes externas veritatis iudiciorum esse *formales*. Propositiones quae solis principiis externis demonstrantur, sunt *historicae* vel *singulares*, *res facti*, vel *communes*, *dogmata historicum*. Propositiones quae principiis internis aut solis aut in auxilium adhibitis externis comprobantur, sunt *dogmaticae rationales*, vel *singulares*, vel *communes*.

### §. VIII.

*De rationibus eti. & rationib. 2)*

Ex ratione veritatis alicuius iudicij vel simul ratio essendi fiendie, (ut cum scholasticis loquamur) eius determinatio-  
nis, quae in isto iudicio de subiecto enunciatur, appareat, vel  
tantummodo iudicium istud verum esse inde colligitur. Si  
prius, ratio inuenta cum scholasticis potest vocari *ratio dicti*,  
si posterius, rationem eiusmodi cum iisdem scholasticis vo-  
cabimus *rationem eti*. Quod si haec conferantur cum iis,  
quae (§. VII.) diximus, appareat, 1) cuius iudicij veritas sola  
experientia constet, eius nos rationem eti duntaxat perspicere;  
2) quod

2) quod iudicium solis testimonii comprobatur, eius veritatem nos itidem ex sola ratione  $\delta\acute{o}ri$  cognoscere, licet alterum quod-dam iudicium, quo ratio illius  $\delta\acute{o}ri$  continetur, testimonio nobis constare possit; 3) si rationibus internis de veritate aliquius iudicij conuincimus, fieri posse, vt eaedem rationes, e quibus  $\tau\acute{o}$   $\delta\acute{o}ri$  perspicimus, simul sint rationes  $\delta\acute{o}ri$ , vt, si rationes internae essentia subiecti fuerint, e quibus praedicatum tanquam attributum fluenter. 4) nec tamen semper rationes internas simul esse rationes  $\delta\acute{o}ri$ , siquidem eae attributa subiecti esse possint et praedicatum essentiale subiecti, ubi igitur ab attributis ad essentia concludi licet, sed illa non sunt harum rationes  $\delta\acute{o}ri$ . 5) ad certitudinem de iudicio aliquo nanciscandam, non esse necessarium, vt rationes eius  $\delta\acute{o}ri$  perspiciantur, neque ergo has ad scientiam, quatenus haec est certa cognitio, necessario requiri, licet ob alia quae-dam bona obtinenda, ad scientiam pertineat illarum cognitio, si acquiri possit: qua de re mox inferius. 6) e rationibus  $\delta\acute{o}ri$  non semper perspici iudicij alicuius veritatem.

## §. IX.

Notum est cognitionem distinguui in rationalem, philosophicam et historicam. Sed quoniam saepe obseruauimus, hos terminos nondum satis fixos esse; tractatio autem sequitur non permittit, vt isti tam libere vagentur, paulo diligenter illos determinavimus. Qua in re malumus diuerfos illorum terminorum significatus retinere, sed in latiores et strictiores distinguere, quam vnicum duxtaxat significatum cuique relinquere et alios omnes nostra circumscriptione excludere. Ut autem finitus illorum terminorum, quam nos suscepimus eo melius perspiciatur, placuit sequentem tabula apponere:

## Cognitio nostra

1. vel nullis rationibus veri idoneis nititur, et est *præcaria* in qua vel 1) non acquiescimus, quae *cognitio historicæ* est *significatu latiori*, quorsum potissimum pertinet *cognitio historicæ ad scientiam præparans*, qua rationes etiam cognoscere possumus, sed non reduplicatiue.

B

vel

*Discrimen eo-  
gnitionis re-  
specu ratio-  
num quae vel  
cognoscun-  
tur vel minus.*

## 10 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

vel 2) acquiescimus, *cognitio irrationalis*.

2. vel rationibus stabilitur, et est *rationalis latissime summa*.  
Hae rationes

1) vel verisimilitudinem modo efficiunt, et vel

(1) rationes *ēti* sunt,

(2) vel rationes *dicti*, de quibus suscepta opinio *Hypothesis* vocatur, et *cognitio* ex eiusmodi hypothesibus phænomena perluciens est *philosophica probabilis*.

2) vel certitudinem praestant, quibus *cognitio* innixa

(1) vel indocta et rudis est, et est *vulgaris*, licet non mereatur irrationalis vocari.

(2) vel docta; haec *cognitio rationalis scientia* est *sensu latiori* quae tripliciter dividendi potest,

A) ratione conscientiae rationum. Has enim

a) vel obscure tantum modo cognoscimus, aut necessario aut laudabiliter; quorum pertinet *cognitio* ab Aristotele *intellectus nominis insignita*, S. III., et omnium proportionum, quarum veritas licet possit ratione clare cogitatis effici, tamen ob laudabilem rationem implicitis ratiociniis cognoscitur.

b) vel illarum rationum conscientia sumus, talis *cognitio* est *rationalis significatu strictiori*.

B) ratione fontis, ex quo rationes petuntur; haec enim

a) vel externae modo sunt,

aa) ab experientia sola petitae, quibus rationibus innixa *scientia* est *empirica*.

bb) a testimonis solis desumptae, quibus nittitur *scientia historica*.

b) vel internae sunt, aut iunctae cum externis, aut solae, quibus innititur *scientia iuridică sic dicta*.

C) ra-

## QVAEDAM GENERALIORA.

ii

- C) ratione eius, quod ex ipsis rationibus cognoscitur,  
a) aut enim *rē dīcti* duntaxat cognoscimus, qua-  
lis cognitio est *historica significatu stric-*  
*tiori*: quae vel rationes *dīcti* externas modo  
cognoscit et est *cognitio historica strictissime*  
et *adaequare* sic dicta: vel rationes *dīcti* in-  
ternas perispicit, cui peculiare nomen tri-  
buere abstineo, nisi forte velis eam cum  
scholasticis *scientiam dīcti* appellare.  
b) vel *rō dīcti* etiam cognoscimus quae *cognitio*  
est *philosophica adaequata* sic dicta, et si ex  
his rationibus *rē dīcti* simul certitudo pro-  
positionis intelligitur, ea potest vocari scho-  
lasticorum exemplo *scientia dīcti*.

Hisce ita positis luculentem patet: 1) cognitionem rationalem  
omnino a philosophica esse distingundam; siquidem omnis  
philosophica cognitio simul est rationalis, sed non v. v. 2) co-  
gnitionem rationalem non solum posse sed etiam ad uitandam  
omnem ambiguitatem debere etiam distinguiri, prout vel  
latiori, vel strictiori significatu sumitur; 3) scientiam signifi-  
catu latiori esse quidem cognitionem rationalem significatu  
latiori, sed non v. v. 4) scientiam significatu latiori non  
semper esse cognitionem rationalem significatu strictio-  
ri; 5) scientiam historican neque necessario esse cogna-  
tionem historican significatu latiori, neque tamē significatu  
strictiori, sed saepe etiam esse posse cognitionem philosophi-  
cam; 6) cognitionem historican non solum significatu strictio-  
ri, sed etiam strictissimo tamen esse scientiam latius di-  
ctam. 7) etiam scientiam strictius sic dictam tamen esse posse  
cognitionem historican significatu strictiori, et v. v. 8) co-  
gnitionem historican strictius sic dictam non solum esse ra-  
tionalem latius dictam, sed etiam esse posse tamē significatu  
strictiori. 9) cognitionem philosophicam semper quidem es-  
se scientiam rationis *dīcti* alicuius propositionis, sed non sem-  
per scientiam illius propositionis ipsius. Possumus enim co-  
gnitionem philosophicam alicuius propositionis habere, quae

B 2

per



## 12 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

per illam nobis non sit certa sed ex aliis rationibus. 10) cognitionem philosophicam non semper esse scientiam rationum sicut strictius sic dictam, sed posse etiam esse earundem scientiam historicam, quum saepe de istis rationibus testimonii certiores reddamus.

Vidit Cel. Chladenius vagum terminorum cognitionis philosophicae et historicae usum in *noua philosophia definitiua*. Lips 1750. 8. sed licet hic liber iam non sit ad manus, tamen recordor, eum plane alia ratione hos terminos circumscriptisse, atque a nobis hic factum est. Quod non solum statuimus esse aliquam scientiam historicam, sed etiam n. 5. pronunciauimus scientiam historicam esse posse cognitionem philosophicam, de eo conferri merentur, quae more suo, id est, eruditissime persequutus est *Sunne Ven-D Baumgarten* in aucta *præfatione ad Historiam universalem a doctis quibusdam anglis conscriptam* p. 9-21, item p. 36-38.

### §. X.

*De cognitione  
erudita tan-  
quam altero  
scientiae cha-  
ractere.*

Diximus §. IV. scientiam non solum cognitionem certam esse debere, sed etiam eruditam. Qualis certitudo requiratur, et e quibus fontibus ea haniri possit, satis, ut opinor §. V.-IX. ostendi. Sequitur, ut quid altero illo charactere, cum scientia cognitione erudita esse dicatur, continetur, fusius explicemus; quum id ad multa, quae inferius dicentur, eo melius perspicienda valere possit. Ac 1) primum quidem *scientia sit cognitione tam distincta, quam fieri potest*; atque id dupliciter; (1) propositiones ipsae conceptusque eas ingredientes distincte cognoscantur, quoad fieri licet. Ergo α) quae in propositione insunt seorsim cogitentur, subiectum, praedicatum, copula, negatio, modus enunciationis, signa quantitatis, seu, ut breuius dicam, *analytis propositionum instituantur*: β) cuiusvis conceptus propositionem ingredientis cogitatione sit tam clara tam distincta, et haec tam adaequata et completa, quam quidem opus est. (2) certitudo etiam propositionum sit tam distincta quam esse potest. Ergo α) principia e quibus iudiciorum veritas deriuatur, seorsim cogitentur ea claritate et distinctione qua propositiones in genere n. (1) cogitandae sunt: β) nexus, qui principia et conclusiones intercedit, distincte perspiciantur; quod sit, si principia et conclusiones

nes

nes secundum regulas ratiocinationis copulantur. Imo distinctio certitudinis sit etiam quam fieri potest adaequata; et quemadmodum adaequatio tum demum maxima est, si characteres characterum tam diu per analysis inuestigantur, usque dum ad characteres irresolubiles peruenierimus; ita hic quoque ad certitudinis adaequationem maximam obtinendam requiritur, ut principia principiorum tamdiu eruantur, donec peruentum fuerit ad principia prima. Néque minus distinctio certitudinis sit completa; nullae rationes veritatis seiu necessariae desint, rationes allatae sint characteres veritatis constantes et necessarii. Tandem distinctio illa certitudinis et completio sit determinata, ne quid ad certitudinem parum afferens redundet, in primis, si verendum fuerit, ne mens perturbaretur atque distraheretur. Atque ut breuius dicamus certitudo in scientia sit, quantum licet, mathematica; haec enim est tam adaequa, completa et determinata, quantum fieri licet (§. V.) 2) illud quoque ad scientiam requiritur, si ea cognitione erudita esse debet, ut tam late pateat, quam fieri potest: quod non solum eo valet, ut is cui scientia ita tribuenda, vi honore aliquo dignus existimetur, non unam alteramne sententiam, sed sas multas, satis copiosam et cumulatam eorum complexionem scienter perspicere debeat; sed eo etiam spectat, ut in doctrina, quae scientiae titulo splendere debeat, si non omnes at plurimae propositiones ad eam pertinentes ita tractentur, ut veritatis earum cognitione ad scientiam euehatur. Omnino scientia habeat aliquid completi, neque tamen ad res frivolas extendatur, aut potius deprimatur. Atque in hoc 3) tertium est, quod ad scientiam requirimus, ut quaevis res scienter cognoscenda eo honore digna iure haberi possit. Non igitur in minutis haerere debet scientia, sed iis sententiis occupari, quae non solum plures alias continent; quae res magnitudinem cognitionis absolutam praefat; sed etiam aliarum multarum feraces sunt, quod magnitudinem relatum efficit; potissimum si tum hi riuuli, qui inde ducuntur, iterum aliarum sententiarum aut complexiones aut fontes fuerint, qua in re pondus et secunditas sententiarum cernitur;

## 14 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

tum illa consecutaria *aut* ad certitudinem aliarum sententiarum efficiendam valent, quae res *magnitudinem systematicam*, vti vocari posset, gignit; *aut* ad vitae felicitatem et ad praxim proprius spectant, qua in re *magnitudo practica* conspicua est. 4) scientia ne sit umbratica sed vitae inferuia; quae in sententiis inest praestantia et magnitudo eam cum delectatione et voluptate intueamur; vt propositiones maxime utiles sunt, et ad rerum actiones influunt, vti problema proficia, ita maxime earum cognitione appetatur; bonis, malis, quae rebus insunt, et viae, qua illa acquirenda, haec auerruncanda sunt, cognoscendis ita opera danda, vt ea quasi intueri possimus, mentis intentione a signorum inuolucris ad res ipsas reuocata.

### §. XL

Ex iis quae paulo ante §. X. diximus, iam porro iure nostro concludere posse nobis videmur: 1) enunciationes generales cognitionem nostram, ceteris paribus, efficere eruditiorum, quam aut particulares aut singulares (1) enim in qualibet propositione vniuersali tot latent propositiones singulares, quot sunt res ad genus subiecti referendae; quae saepe innumeræ sunt. Ergo cognitionis non modo copia, sed magnitudo etiam absoluta obtinetur. (2) in propositionibus vniuersalibus est laudabilis illa breuitas in hac nostra calamitate, cum ars longa, vita breuis est, haud sane parui aestimanda. Quae res eo quoque spectat, vt tempus quod singularibus propositionibus quae vniuersali continentur sigillatum cognoscendis impendendum fuisset, iam aliis propositionibus vacuum sit: atque adeo cognitionis nostræ copia amplificetur. (3) plurimæ aliae enunciationes ex una propositione generali ratiociniis derivatae certae nobis euadunt. Habent ergo enunciationes generales magnitudinem systematicam. (4) sine iis vix ratiocinaremur; quum ordinaria concludendi ratio sequatur dictum illud de omni et nullo: sunt ergo propositiones generales potissimum effectrices certitudinis in cognitione nostra, et eius quidem in primis certitudinis, quae rationibus internis nititur, quae necessitatem absolutam relationis, qua praedicatum conclusionis subiecto competit, euincunt, et formidinem oppositi magis

De propositionum universalium relatione ad scientiam.

magis pellunt, quam externae rationes. (5) Possunt eae ad inumeros saepe casus in vita agenda obuios applicari; quare eis magnitudo sua practica constat. Quod longe secus est in iudicis particularibus et singularibus; et nisi particulares refutationi propositionum falso vniuersaliter enunciatarum inferirent, nescio, an in erudita cognitione iis sit locus concedendus. Vnde satis apparere poterit, quantum faciant propositiones generales ad cognitionem eruditam, et quare in hac tantopere abstractio quaeratur.

## §. XII.

2) Ex iis, quae (§. X.) diximus, patebit, quales esse debent termini in scientia adhibendi. Praecipiendum igitur *De termino-*  
*rum usu in*  
*scientia.*  
 erit, α) ne termini sint obscuri, β) ne sint inanis, γ) ne committamus, ut termini nobis evadant ita familiares, ut ad eorum significatum vix attendamus, δ) ut nobis caveamus a terminis deceptioribus tam in notionibus complexis, quam in causis rerum significandis, ε) ne sint temere inapproprii, ζ) ne abhorream ab usu recepto, η) ne sint vagi et inconstantis usus. Haec sunt terminorum via in scientia sedulo vitanda, et quae his virtutis oppositae sunt virtutes imprimis quaerendae. Praecipue vero usus terminorum abstractorum et fixorum in scientia quam maxime commendandus. Ac illi quidem vel in omnium ore sunt, vel in arte aliqua tantummodo adhibentur, et technici vocantur; quorsum pertinet tam termini vulgares sed paulo aliter circumscripti ac in quotidiana consuetudine usurpantur, quam noua notionum rerum, et notionum ultra vulgi consuetudinem abstractarum nominis. Iam quum abstractio in scientia magnopere quaeratur §. XI. et iaepe non solum plures notiones abstractae, quae vulgo confunduntur, distinguendae, sed etiam in abstractione paulo altius adscendentum sit; termini autem, si talibus notionibus abstractis addantur, earum claritatem promouent, sine iis vix sat a conceptibus reliquarum determinationum, quae rebus simul insunt, distinguendarum: terminorum abstractorum et technicorum in scientia utilitas appareat. Imo ad breuitatem propositionum multum prodest,

*si con-*

## 16 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

si conceptus eas ingredientes, qui alias pluribus vocibus es-  
sent designandi, uno aliquo termino technico comprehen-  
duntur: illa vero propositionum breuitas non modo si hae solae  
cogitantur, sed etiam si cum aliis ratiocinando copulantur ad  
maiorem claritatem multum confort, siquidem ita cauetur,  
ne mens multitudine idealium seorsim cogitandarum obratur.  
Haec sufficere poterunt iis, qui terminorum abstractorum et  
technicorum in scientia vsum nimis fastidiose contemnunt.  
Sed termini etiam fixi in primis in scientia commendandi sunt.  
nam α) sunt ii termini clari, β) sensu propositionum red-  
dunt expeditum, γ) in ratiocinando magnum momentum tra-  
hant: neque enim in ratiocinando aut definitiones aut pro-  
positiones ad res obuias applicare, neque aut res ad sua gene-  
ra et species reducere, aut num rei conditio, sub qua praedi-  
catum subiecto tribuendum, adjuncta sit, satis recte videre pos-  
sumus, nisi in omni hoc negotio terminis fixis utamur: imo  
vitium istud quatuor terminorum, quo nihil pestilentius est  
in ratiocinando, vix effugiemus, nisi termini in ratiocinio ad-  
hibendi figantur. δ) postremo, quum omnis applicatio vera-  
rum sententiarum vlsusque ratiocinando fiat, ex iis, quae  
paulo ante diximus n. γ) apparere poterit, quantum conferat  
ad verarum sententiarum vsum, si terminis fixis utamur. Du-  
pliciter autem termini erunt fixi, vel, si notio eis confusa  
respondeat, cui nihil distincti admixtum est, vel si per notio-  
nem distinctam determinatam, adeoque per definitionem ex-  
plicantur. Qui posterioris generis sunt, ii in primis in scien-  
tia querendi.

De iudicio-  
rum determi-  
natorum ne-  
cessitate in  
scientia.

### §. XIII.

3) In primis etiam illud videndum in scientia, ne iudicia  
nostra sint indeterminata. Est autem iudicium determinatum  
significatus latiori, si conceptus subiecti ita repraesentatur, ut  
ille neque plus neque minus contineat, quam suffi-  
cit ad illud distinguendum ab omnibus aliis, quibus praedi-  
catum in isto iudicio non est tribuendum. Hoc autem fit  
(i) in iudiciis, quae absolute enunciari possunt α) si subiectum  
fuerit

fuerit notio confusa quidem, sed termino fixo denotata,  $\beta$ ) si subiecti notio vaga in iudiciis singularibus determinationibus suis propriis, in iudiciis vero universalibus definitione antea circumscribitur. (2) in iudiciis, de quorum subiecto praedicationi aliquod non absolute potest praedicari, si illi subiecto noxae contingentes adiiciuntur, neque plures neque pauciores quam sat est. Eiusmodi *iudicia in significatu strictiori* vocantur *determinata*. Atque haec iterum duplicitis generis esse possunt.  $\alpha$ ) Primum genus eorum est, quorum subiectum determinatur notis negatiis, quae *vel  $\alpha\alpha$*  expresse terminis abstractis et fixis, *vel  $\beta\beta$*  implicite in ipsis aut speciebus, aut individualiis, aut casibus singularibus per inductionem completam recentatis, representantur. Atque haec recensio, *vel* ut subiectum minus principale in ipsa illa propositione determinanda addi potest subiecto principali; *vel* in peculiari propositione statim adiici. Quae ad hoc primum genus referendae sunt *propositiones*, vocantur *exceptivae*.  $\beta$ ) Alterum genus eorum est, quorum subiectum determinatur adiectis notis affirmatiis; quorsum etiam referendae sunt *propositiones restrictivae, reduplicativae, ampliativae*, quorum subiectum restrictivae, reduplicativae, ampliativae diserte explicatur. His potissimum rationibus obtinetur determinatum illud in scientia in primis querendum; at non ex quauis illarum aequa comoda sunt speranda. Illa ratio n. (1)  $\beta$ ) allata, item ea n. (2)  $\beta$ ) reliquis praefat, sic etiam propositiones exceptivae prioris generis n.  $\alpha\alpha$ ) inclusus et commodius sunt determinatae, quam illae posterioris generis n.  $\beta\beta$ ). Neque tamen reliquae rationes plane spernenda, aut existimandum est, eas in scientiae regno prius non posse consistere, ut multi sibi persuadent. Illud tamen praecipiendum est: *primum* si rationum determinandi praestantiorum facultas sit, has p[ro] reliquis utique esse adhibendas: *deinde* in id incumbendum esse, ut iudicia determinata inferioris dignitatis evehantur in ea, quae praestantioris generis sunt. Ratio autem, cur iudiciis determinatis tantopere in scientia studendum, obscura esse non poterit. Nam,

## 18 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

si propositio eo modo est indeterminata, vt subiectum eius iusto minus contineat, id est, minus quam sufficit ad ipsum distinguendum ab omnibus aliis, quibus praedicatum in ista propositione non est tribuendum; fiet, vt praedicatum iis etiam rebus tribuas, quibus tamen tribuendum non fuerat. Ergo ista propositio est neque satis vera, neque satis certa, neque applicabilis. Sin autem subiectum aliquius propositionis plus iusto continet, notae abundantes vel per reliquias determinantur, s. e reliquis flunt, vel minus. Si posterius, subiectum arctius limitatum est, et fiet, vt praedicatum iis rebus nondum audeas tribuere, quibus tamen posses; ergo usus eiusmodi propositionis non erit tantus, quantus esse posset. Si prius, non quidem aberrabis, sed tamen aut laborem in approbanda applicandaque ea propositione tibi cumulabis præter necessitatem, aut, quod peius est, precario aliquid assumes, ad istum laborem effugendum.

Propositiones determinatae facilius et citius intelligi possunt indeterminatis, in quibus ita interpretandis, vt a sensu vero non aberres, opus est, vt vel praedicatum earundem, vel alias propositiones ab eodem auctore pronunciatas, vel finem auctoris, vel alia eiusmodi subdicia in consilium adhibeas. Quum per disciplinas practicas habitus quarundam actionum promoueri debeat, hic autem exercitio earum actionum, quarum regulæ in ista disciplina traduntur, acquiratur; appetat, quoniam propositiones determinatae facilius et rectius applicari et ad usum conferri queunt, multo facilius et feliciter disciplinas istas practicas finem suam obtinere, si propositiones earum fuerint determinatae. Quia re simul tempus lucrari possumus ad alias doctrinas et veteriorem cognitionis nostrae amplificationem utileiter adhibendum.

### §. XIV.

De cognitio-  
nis philoso-  
phicae rela-  
tione ad scien-  
tiam.

3) Illud etiam ex iis, quae §. X. ad scientiam retulimus, si conferantur cum iis, quae §. IX. diximus, sponte sua fluunt; cognitionem philosophicam non quidem ita ad scientiam pertinere, vt haec sine ea nulla sit, sed tamen magnum in ea trahere momentum. (1) Primo enim semper plus cognoscit cognitione philosophica, quam historica, etiam strictius dicta. (2) Rationes rerum nostrarum propagat saepe scientiae pomoeria. Ratione enim vienii rationati perspecta saepe aperiuntur plura rationata eiusdem

dem rationis nondum detecta; quod in ipsis hypothesisibus, veluti physicis, accidere solet, ut phaenomena illis moniti detegamus, de quibus antea nunquam cogitabamus. (3) Cognitio philosophica feracissimus est fundus, in quo nascuntur enunciationes vniuersales tam categoricae, quam hypotheticae. Ratione enim dioti praedicati alicuius propositionis perspecta, licebit aut absolute illud praedicatum de subiecto enunciare, cuius illa est determinatio necessaria, aut certe hypothetica, si ea ratio subiecto tanquam eius determinatio contingens adiicitur, atque utrumque vniuersaliter (4) eadem ratione patet, cognitioni philosophicae esse hunc fructum, ut multae propositiones possint determinari. n. 3. cf. §. XIII. n. (2) (5) Neque minus patet, cognitionem philosophicam principia nobis largiri, e quibus ratiocinatione tum ordinaria tum hypothetica alias verae sententiae erui possint n. 3. adeoque hoc etiam modo scientiae vastitatem promouere. (6) Propositiones, quarum habemus cognitionem philosophicam, felicissime applicari et in usum conuersti possunt. (7) Si per cognitionem philosophicam alicuius propositionis simul certitudo huius obtinetur, ea certitudo est mathematica primi ordinis §. V. (8) Definitiones tam reales, et geneticae, quam essentiales ut tales non nisi a cognitione philosophica expectari possunt. ex illis vero definitionibus alias etiam accidentales deriuari possunt. (9) Problemata sine cognitione philosophica solui plane non possunt. Solutio enim earum postulat, ut ostendamus, hunc vel illum effectum produci hac vel illa causa. (10) Iudicia de bono malo, quae potissimum practica vocari merentur, ferri a nobis ipsis non possunt, cognitione philosophica destitutis. Effectibus enim, cum quid statum nostrum aut perficit, aut deteriorum reddit, cernitur omne bonum malumque. Iam si haec omnia cum §. X. conferantur, et quidem huius §i. n. 1. 2. 5. cum illius n. 2. 3. huius n. 3. cum illius n. 3. cf. §. XI. huius n. 4. cum illius n. 3. cf. §. XIII. huius n. 6. cum illius n. 3. et 4. huius n. 9. et 10. cum illius n. 4. et tandem huius n. 8. cum illius n. 1. luculenter apparebit, quantum ad scientiam

## 20 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

conferat cognitio philosophica. Praecipendum igitur erit, a) vt in scientia inprinis quaeramus, si fieri possit, cognitionem philosophicam, si non certam at probabilem, id est, hypothesēs philosophicas. §. IX. n. 1. (2). β) Ut eo laboremus, ut cognitio philosophica, quam acquirimus, simul sit scientia diötri: tunc enim non solum vsum omnis cognitionis philosophicae praestabit; sed etiam eum, quem hypothetice n. 7. de ea enunciavimus. cf. §. IX.

Ad n. (3) obseruandum est, superesse quidem adhuc alias vias, quibus ad propositiones vniuersales peruenire possumus, sed non tam compendiarias neque tam securas. α) Primo enim per inductionem completam ad iudicia vniuersalia peruenimus; at quam molesta, quam longa, quam periculosa eriam saepe est haec via? β) potest etiam sub conditione rationis  $\forall i$  internae praedicatum de subiecto vniuersaliter efferriri: sed non tam secure, quam id fieri potest sub conditione rationis  $\exists i$ . Nam ratio  $\forall i$  interna est quidem ratio cognoscendi, ex qua veritas iudicij cognoscitur, at non est ratio realis praedicati, sed potius saepe talis determinatio subiecti, quae est rationatum praedicati: iam vero a rationato ad determinatam aliquam rationem rum demum concludere licet, cum haec est illius vniqa ratio. Quantum in eo sit, quod cognitio philosophica definitiones nobis largitur n. (8), mox luctulentius patebit §. XV.

### §. XV.

*De vnu definitionum in scientia.*

5) Porro patet, quid sit de vnu definitionum in scientia existimandum. Non quidem ii sumus, qui existimemus definiendi diligentiam semper et vbiique in scientia necessariam esse: neque enim ipsi definiendi pruritus vellicamur, neque hujus vitii defensionem aut patrocinium suscipiemus vnuquam. Saepe sufficiunt conceptus confusi, saepe etiam distincti nondum completi; multo minus distinctio completa fastidiosius contempnenda est, si determinatio absit, et si quid aliqua ex parte redundet. Nec tamen adeo hebetes sumus, vt non videamus, quantum definitiones accuratae ad aedificii scientia extrudi lumina, firmitatem et commodiorem vsum conferre possint. (1) Primo enim definitiones conceptibus nostris distinctionem, et quidem completam illam efficacissime praestant. (2) Definitiones significatum terminorum ita figunt,

vt



ut non amplius vagetur. (3) iisdem etiam propositiones optime determinantur §. XIII. (4) definitiones via admodum breui et tura nos deducunt ad propositiones vniuersales. (5) ex definitionibus hauriuntur illae enunciationes indemonstrabiles, quibus non solum superstruuntur probationes sententiatarum demonstrabilium, sed ad quarum etiam cogitationem mens regredi debet, si propositionum demonstrabilium certitudinem adaequatam nancisci velit. (6) definitiones ratiocinando mirifice inferunt. Nam α) si secundum illud principium concludimus; *cui competit definitio, illi etiam definitum tribuendum, et contra; item, cui repugnat definitio, illi nec definitum tribuendum, et contra:* in aprico est, ad hanc concludendi rationem definitiones esse necessarias. Sin autem secundum dictum de omni et nullo ratiocinamur, satis apparet id fieri non posse, nisi in promptu habeamus propositiones vniuersales, et nisi in specialiore quadam propositione rem aliquam ad genus subiecti propositionis generalioris reuocemus. Iam vero propositiones vniuersales ex definitionibus feliciter petuntur n. 4. et si res quedam ad genus aliquid reuocanda, hoc satis feliciter fieri non potest, nisi genus illud definitione explicatum et determinatum fuerit. β) quum plurimi termini in ratiocinando adhibendi vagi maneant, nisi definitionibus fuerint circumscripti, ex hac autem terminorum inconstancia facilissimus delapsus sit ad vitium illud quatuor terminorum: hinc quoque insignis vfls definitionum in ratiocinando cuius apparet poterit. (7) Nunc, quum nulla applicatio sententiarum generaliorum sine ratiocinatione fieri possit: appareat posse, definitiones ad vflm veritatum maximopere requiri. (8) definitiones essentiales aequae ac genericae et reales effectrices sunt cognitionis philosophicae, imo scientiae dicitur: et, quum e definitionibus accidentalibus tam essentiales quam reales nonnunquam deduci possint, etiam illae accidentales definitiones id nobis praestare possunt, vt de rebus philosophari possimus. Quod quanti sit aestimandum, patet ex §. XIV. Haec omnia, si conferantur cum §. X. XI.

## 22 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

XII. XIII. XIV. manifestum reddere poterunt, quatenus definitiones sint ad scientiam necessariae.

Ne quis forte miretur, aut minus consentaneum existimet, quod n. 8. diximus, definitiones reales et essentialies esse effectrices cognitionis philosophicae; quum tamen § XIV. n. 8. pronunciauerimus, a cognitione philosophica expectandas esse easdem definitiones ut tales: en tibi huius difficultatis solutionem. Definitiones essentialies et reales reduplicatiue suntas, supponunt omnino, nos reperire, eas determinationes, quae tanquam notae ingrediuntur illas definitiones esse rationes simpliciter tales reliquarum rei definitae determinationum, adeoque supponunt cognitionem philosophicam determinationum rei definitae internarum. Sed eadem definitiones possunt nobis perspectae esse, licet non reduplicatiue ut essentialies et reales a nobis agnoscantur. Iam, quemadmodum, si causa primum per se et nondum tanquam causa innatur, deinde ut causa reduplicatiue a nobis agnoscatur; sic, quae nobis patefactae sunt definitiones essentialies et reales, possunt primum in genere ut definitiones nobis innotescere, paulo post reduplicatiue ut essentialies et reales a nobis agnoscantur; et hac ratione perducunt nos ad cognitionem philosophicam.

### §. XVI.

Ne autem quis suspicetur, poenitentiam nos subiisse, quod §. IX. statuimus esse quandam scientiam empiricam, et historicam: paucis ostendendum erit, quatenus et quomodo haec cognitionis species scientiae nomine ornari mereantur. Ac 1) *empirica* quidem cognitio est non solum certa, sed etiam certitudinis distinctae capax; ut itaque primus scientiae character omnino in cognitionem empiricam cadat §. IV. V. sed quoniam illud quoque ad scientiam postulauimus, ut sit cognitio erudita §. IV. IX. X.; considerandum erit, qualis esse debeat cognitio empirica, si hic alter quoque scientiae character ipsi decernendus sit. Tunc enim nemini dubium amplius esse poterit, empiricum illud non necessario ita humi repere, ut non ad scientificum se tollere possit, ut multi sibi fingunt, sed saepe eandem cognitionem, quae scientifica sit, simul esse posse empiricam. Cognitio empirica est erudita, a) si nexus illius cum principiis suis formalibus distincte cogitatur. Ergo si non solum duae illae praemissae: *Quicquid experior,*

*Quomodo  
cognitio em-  
pirica scien-  
tia esse possit?*

*perior, id verum, et, hoc experior, sed etiam huius subsumptionis principia, id est, regulae experimenta capendi, et observationes instituendi, clare et distincte cogitantur, aut certe harum cogitationum, si forte earum lux obscurata fuerit, res uocatio in promptu est; et si praeterea consequentiae legitima ratio ex regulis logicis perficitur: haec profectio cognitio erudita est §. X. 3) si observandi experiundique diligentia non solum ad res vulgares, cuius mundi spectatori obuias, sed ad abditas eriam, et arte demum, e. g. armis sensuum, experimentorum instrumentis, detegendas, conferatur. 4) si sagax et prouidus harum observationum delectus habetur, ut illae in primis instituantur, quas, aut vitae aut disciplinae alicui insigniter profuturas esse, animo iam praecipimus. Quorsum et illud pertinet, ut eas potissimum observationes instituamus, de quarum momento cognitionis philosophicae lumen aut certe diluculum nos monet. 5) Si sensuum praestigiae et fallacie, ac pestilentissimum illud vicium tubreptionis sedulo vitantur, ideoque omnes regulae obseruandi, quarum distincta cogitatio n. et requirebatur, curiose seruantur. 6) Si cum obseruationibus, quae partem perceptionis cuiusdam totius constituent, reliquae huius partes vna cogitantur, ut percipio tota, quam fieri potest, euadat extensae distincta, seu si circumstantiae obseruationum simul attenduntur. 7) Si obseruationes ita instituuntur, ut deinde conceptuum distinctorum, notio num, et in primis definitionum formatio, propositionum vniuersalium per inductionem deriuatio, causae et rationis internae, in primis rationis dicti, inuestigatio expedita reddatur. His rebus efficitur illud, ut cognitio empirica non solum certa euadat, ac scientiae tanquam instrumentum inseruat, sed etiam rufem illam et indoctam experiundi rationem ita antecellat, ut ipsi cognitionis eruditae et scientiae nomen haud sine iniuria eripi possit.*

## §. XVII.

2) Cognitio solis fidei principii innixa non modo certa, *Quomodo ev-*  
*sed erudita etiam esse potest. Ac certitudo quidem huius co-* *gnitio-* *gnitio biolo-*  
*rica obiectus*

## 24 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

*realis scientia esse possit.* cognitionis potest tum  $\alpha$ ) distincta esse, si quidem ratiociniis ea nimitur, licet iis, quorum praemissae non sunt principia materialia, sed formalia, tum  $\beta$ ) completa etiam. Quae enim diuinis testimoniiis nititur, omni exceptione major est; quae autem humanis, ea non raro tamet ita formidinem oppositi pellit, ut actionum nostrarum directrix iure esse possit. Remanent omnino, quae testimoniiis non satis certo cognosci possunt; sed illud duntaxat inde sequitur, esse has illasue res, quae nec testimoniiis possint satis probari; minime autem illud, rem testimoniiis satis probataam tamen esse incertam. *Eruditam* vero esse posse eiusmodi cognitionem testimoniiis satis fundatam, non luculentius possumus demonstrare, quam si ostendimus, quomodo aut quando ea sit erudita. *Duo* autem hac in re quaeri possunt, *primo* quando oratio illa, qua quis certas veritates testimonio comprobatas proponit, eo accommodata sit, *vt*, qui eam audit legitue eruditam rerum testatarum cognitionem acquirat; et *deinde*, quando is, qui res testatas cognoscit, erudita earum cognitione imbutus sit. *Vt a posteriori exordiamur*, *cognitio* rerum testatarum erudita est,  $\alpha)$  si distincta certitudo eorum rerum obtinetur. *Quod fit*, si principia veritatum historicarum formalia, eorumque nexus distincte cogitantur. *Hoc* autem fieri non potest, nisi praecpta, quibus veritatum historicarum inquisitio dirigitur, probe teneantur et legitime applicentur. *Conf. §. XV. a.*  $\beta)$  si tot rei gestae circumstantiae cognoscuntur, ut admodum distinctus totius facti conceptus inde formari, ciusque tam possibilis quam interna probabilitas perspici possit.  $\gamma)$  Si cognitionis rerum testatarum eum modum quaerimus, qui accommodatus est scientiae stricte sumptae, et cognitioni rerum testatarum philosophicae obtainenda.  $\delta)$  Si pragmaticum illud, ex cognitione philosophica ortum suum potissimum trahens, in cognitione rerum testatarum in primis quaerimus. Atque hinc iam facile erit intellectu, quando *oratio*, qua quis veritates quasdam testatur, scientia nos imbuere possit, hinc scientifica sit. *Harum autem rerum, quas requirimus, vt docta*

docta sit cognitio solis testimonii innixa, esse omnino facultatem, nemo negabit, ea quae diximus, ita ut decet, meditatus.

Duo hic probe distingenda sunt, primo an propositionis alicuius solis testimonii comprobanda; esse possit scientia, deinde an doctrina, cuius propositiones posteriores et plurimae solis testimonii nituntur, scienter possit cognosci. Prius in paragrapho affirmamus: et posterius multo magis afferendum. Nam in tali doctrina non solum illas propositiones testimonii solis innixa scientiam admittunt, sed possunt etiam ex iis tam inter se collatis quam cum aliis etiam propositionibus connexis aliae propositiones ratiocinando elicere, quod quidem scientiae est stricte si dictae, de qua mox plura. Iam, quum Historia et Theologia reuelata tales doctrinae sint, quarum posteriores et plurimae propositiones solis testimonii comprobari possunt: eas scientias esse posse, dubitari profecto nequit. Quum propositiones vniuersales, et rationes rerum diversarum testimonii nobis afferuerari possint: hinc etiam (cf. §. XI. XIV.) intelligi potest, esse etiam rerum testatarum quandam scientiam.

### S. XVIII.

Si veritas iudiciorum solis argumentis internis stabilitur, 1) maior distinctio in cognitione illorum iudiciorum obtinetur, quam si ea argumentis externis probarentur; argumenta enim interna poscent analysin conceptuum propositiones per ea probandas ingredientium. 2) ista argumenta interna possunt quidem etiam ex conceptibus distinctis aut adaequatis incompletis defundi, sed plerumque tamen ex definitionibus petuntur; ergo ex argumentis internis suscepta demonstratio praefat plerumque simul visum illum praeclarum quem definitionibus tribuendum esse ostendimus §. XV. et quoniam ex his propositiones vniuersales, terminorum fixorum constantia, iudicia determinata, imo etiam cognitio philosophica tanquam fructus gignuntur, omnes utilitates quae his attribui debent §. XI. XIV. ab visu argumentorum internorum sperari possunt. Quare horum insignis omnino vis ad scientiam obscura esse non potest.

*Quam vis  
babeant ar-  
gumenta in-  
terna ad  
scientiam.*

Haec duo, quae iam de argumentis internis probauimus, absunt a scientia empirica. Et licet Scientia historica nobis etiam propositiones generales sive dogmata historica §. VII. et cognitionem philosophicam largiri

## 26 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

giri possit (§. XVII. schol.): tamen rarius id sit, neque si fides modo humana interponitur, tam secure, quam argumentis internis perspectis. Fidei enim humanae tantum eae propositiones vniuersales credi solent, quae facilioris fuere abstractionis: nec rationum assueratio facile illi creditur, nisi expeditioris eae fuerint inuestigationis.

### §. XIX.

Quum iam satis appareat, tum cognitionem empiricam, cum eam quea testimonii mittitur, eiusmodi esse posse, ut scientiae nomini mereatur; argumentorum autem internorum magnam esse vim ad scientiam: multo minus negandum erit, quae cognitio rationibus aut externis vtriusque generis, simul fuit, aut tam internis quam externis stabilitur, eam scientiam esse posse; neque quisquam, quod memini, negavit. Sed, vt planius fiat, quomodo tam rationes externae vtriusque generis, quam internae cum externis iungi possint, ad unius alicuius sententiae veritatem stabilendam; pauca quaedam adiiciemus, quibus penitus cogitatis in sequentia tractatione nonnulla felicius demonstrabuntur. Ac 1) *primum* quidem experientiam et fidem iungi posse dupliciter, vel ut res aliqua *et* experientia *et* fide, vel ut ea *partim* experientia *partim* fide probetur, si p[ro]p[ter]a iam §. VII. diximus. *Prius* tum facultatem habet, cum res aliqua plurimis sensibus usurpari potest. Tunc enim ipse experiri potero, quod alias quis testimoniū mīhi fecit. *Alterum* vero fieri potest, tum in syllogismis propriis, *tum* in syllogismis communib[us], quorum una praemissa fide, altera experientia confirmatur. Tales autem syllogismi communes tum deum locum habent, si propositione aliqua vniuersalis testimonio munitur. Hic autem casus tunc potissimum valebit, quum testimonium fuerit diuum (cf. §. XVIII. schol.) 2) Deinde experientia et ratio itidem dupliciter coniungi possunt ad veritatem stabilendam. Potest *primo* proposicio aliqua *et* experientia *et* ratione confirmari: sed potest etiam *partim* experientia *partim* ratione veritas eius cognosci. Quod posterius iterum dupliciter fieri potest. *Primo* ita, ut utraque praemissa experientia immediata mittatur; quod lo-

cum

cum habet in syllogismis propriis, quorum utraque praemissa est empirica. Deinde ita ut una praemissa experientia nitatur, altera rationibus internis. Si prius illud locum habet, conclusio experientia mediata sola; si posterius, experientia mediata ratione sociali stabilitur. Atque hoc posterius, non minus ac prius, ita saepe fieri potest, ut vix obseretur, rationem esse in consilium adhibitam; ut in iis propositionibus, quae singulares quidem sunt, sed praedicati negatiui, aut abstracti, item in propositionibus communibus, ex iis, quae vere intuituue sunt, facillime colligendis. Vnde saepe accedit, ut eiusmodi propositiones ex sola experientia apparere dicantur, quod, nisi vitii subreptionis periculum aliud suadeat, non adeo reprehendendum. In approbatione propositionis ope experientiae mediatae ratione sociali dantur gradus. Primus ita constitui potest, ut eos casus complectatur, in quibus una praemissa, experientia immediata constat, et altera quae illi iungitur, est regula logica de abstractis ope experientiae eruendis; quorsum pertinent regulae, quae praecipiunt de attributis et essentialibus rerum, de notionibus vniuersalibus, de causis, et de propositionibus vniuersalibus experientia degendis. De reliquis gradibus dicere non est necesse. 3) Fides et ratio eodem modo ut experientia et ratio duplicitate coniungi possunt, ut primum propositio aliqua et testimonii et rationibus internis stabilitur, deinde etiam, ut propositio parvum fide partim ratione efficiatur. Prioris rationis multa exempla theologia reuelata nobis suppeditabit. Posterior autem ratio iterum duplex est. Una, cum utraque praemissa testimonii immediate nititur; et tum conclusio nititur fide mediata sola. Quae ratio in propositionibus stricte theologicis saepius locum habet, in aliis rarius. Alter modus is est, quem una duntaxat praemissa fide appetit, altera autem rationibus internis nititur; et tunc conclusio demonstratur fide mediata sociali. In omnibus his modis propositionem aliquam efficiendi, haec, non minus quam si ea rationibus externis solis probatur, a posteriori comprobari dicitur, cui rationi opponitur via illa a priori.

28 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

§. XX.

*Quantum rationum intermarum atque externarum coniunctionio faciat ad scientiam.*

Coniunctione rationum externarum atque internarum effici posse propositionis alicutus scientiam, ostensum est §. XIX. Sed quantum haec amica conspiratio ad scientiam faciat paulo planius est docendum. Ac 1) *primum* quidem coniunctione experientiae cum ratione, a) si quid et experientia et ratione confirmatur, *aa*) certitudo maior obtinetur, *ββ*) homines conceptuum analysi nondum fatis adsueti facilis conuincuntur, *γγ*) cognitio magis viua euadere potest, δδ) omnia commoda ex rationum internarum perspicientia oriundi §. XVIII. simul obtineri possunt; β) sin autem enunciatio aliqua partim experientia partim ratione comprobatur, non eadem est huius coniunctionis ad scientiam efficacia. Nam, cum *aa*) experientia mediata sola aliquid scimus, omnes fructus cognitionis vniuersalis §. XI. hic absunt; licet distinctio cognitionis hic maior sit, quam cum experientia immediata rem aliquam docemur; in experientia enim mediata semper per aliqua analysis conceptum propositionis demonstrandae opus est: cum vero *ββ*) experientia mediata rationi socia de aliquo certiores reddimur, fructus illi cognitionis vniuersalis locum omnino inueniunt. Certe, si experientia mediata rationi socia etiam primi gradus fuerit, non solum una praemissa semper est vniuersalis, sed conclusio etiam aut proxime inseruit cognitioni vniuersali, aut ipsa vniuersalis est. 2) Si fides cum ratione iungitur, a) ita, vt eadem propositio et testimoniis et rationibus interris demonstretur, eadem commoda, quae n. 1) *aa*, *ββ*, δδ, de simili coniunctione experientiae et rationis affirmauimus, hic quoque obtineri possunt. β) sin autem ista coniunctio eiusmodi est, vt propositio aliqua partim fide, partim ratione comprobetur, sive id fiat *aa* fide mediata sola, sive *ββ* fide mediata rationi socia: neque distinctio abest in conceptibus propositionum ita probatarum, siquidem in utroque illo casu analysi aliqua istorum conceptuum opus est; neque fructus cognitionis vniuersalis necessario defunt, quum etiam vniuersales enunciationes solis testimonii nobis constare possint.

Si

Si haec quae paulo ante diximus, ad theologiā reuelatam applicentur: apparebit profectō, illam multo magis scientiam esse posse, quam aut scientiam empiricam, aut historicam.

## §. XXI.

Scientia stricte sic dicta de re aliqua aut solis rationibus internis aut iunctis his cum externis conuincentur §. IX. Sed *stricte sic dicta*, *quam magis esse scientiam, quam scientiam empiricam & historicam.*

## §. XXII.

De scientia eiusque vera indole et requisitis a §. III. XXI. *Propositio-*  
satis dictum esse arbitror. Antequam vero in methodi scientifi-*num dinatio-*  
cae rationes paulo diligentius inquirimus, pauca quaedam tum  
de propositionum divisione, quam mathematicam vocant, tum  
de nexus propositionum, qui in scientia locum habet, dicenda  
erunt. Vniuersa illa propositionum distinctio a mathematicis  
frequentata, ratione certitudinis earum instituta est. Sunt  
igitur propositiones

1. vel confusae certitudinis, non discursuæ, et indemon-  
*strabiles*

1) respectu rationis a qua haec confusio pender,

(1) vel ob physicam necessitatem in cognitione hu-  
mana, ut principium absolute primum, quod est  
*absolute indemonstrabile*,

(2) vel ob moralem necessitatem, s. ob laudabilem ali-  
quam rationem; huiusmodi propositiones sunt  
*respectu indemonstrabiles*, quorsum pertinent

(a) quae modo principiis formalibus §. VII. nitun-  
tur, ut *propositiones identicae*, ut *intuituæ*,  
quae sola experientia probantur.

(2) quarum praemissæ non pertinent ad eam pro-  
positionum seriem, in qua sunt ipsæ, *Lem-  
mata*.

D 3

Si

30 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

Si necessitas confusioneis moralis maior est, propositiones sunt respectue indemonstrabiles primi ordinis, si minor, secundi ordinis.

2) respectu argumenti quod istae propositiones continent, aut enim

(1) sunt theoreticae, *Axiomata*, praesertim si simul fuerint identicæ,

(2) vel practicæ, *Postulata*.

2. vel distinctæ certitudinis, *propositiones discursuæ*, quæ diuidi possunt

1) respectu conscientiae praemissarum. Si enim

(1) harum vna tantummodo clare cogitanda, altera autem tanquam principium formale obscurius repræsentatur, conclusiones hinc illatae dici possent *propositiones discursuæ inferioris gradus*, ut *consequentiae immediatae*, vt propositiones experientia mediata rationi socia primi gradus stabilienda. §. XIX.

(2) vtraque clare cogitanda, conclusiones ex his deductæ essent *propositiones discursuæ vñterioris gradus*.

2) respectu argumenti, quod eiusmodi propositiones continent. Sunt enim haec

(1) vel theoreticae, *Theoremata*,

(2) vel practicæ, *Problematæ*.

Ea vel theorematæ vel problemata quæ facillimo negotio ex alia quadam propositione derivari possunt, sunt huius *Consecutoria*, s. *Corollaria*.

Quæ propositiones neque ex alia quadam sententia ad eandem feriem pertinente efficiuntur, neque ad efficiendam aliarum enunciationum ad eandem feriem pertinentium veritatem adhibentur, sed ob alia bona in scientia quaerenda, vt, ob maiorem claritatem, ob cognitionis vitam cert. adiiciuntur; eae *Scholia* appellantur.

A Wol.

## QVAEDAM GENERALIORA.

37

A *Wolfo* etiam illae propositiones dicantur intuitivae, quae ex analysi aut definitionis, aut propositionis compositae, aut hypotheseos notioni subiecti adiunctae immediate petuntur.

## §. XXIII.

Sequitur, ut de nexus propositionum, quarum est scientia, disputemus. Hoc enim perspecto, facilius deinde intelligetur, non solum quatenus continuatio quedam cogitationum in scientia locum habeat, sed etiam, quid ordo ad scientiam conferat, adeoque realitas definitionis methodi scientiae §. II. suppeditatae cuius patebit. Est autem nexus propositionum scienter cognoscendarum 1) *effectivus*, quo aliae propositiones aliarum scientiam efficiunt; qui duplex est 2) *explicativus*, quo plures propositiones ita ad se inuicem referuntur, ut aliae aliarum distinctiorem cognitionem promoveant. Quod fieri potest, (1) si una propositio notio nēm distinctam, imo completam et determinatam, cum eo termino coniungit, qui ingreditur alteram propositionem, vel ut subiectum, vel ut praedicatum, vel ut pars subiecti praedicative. Hacc altera propositio potest iterum esse subiecti sui definitio applicans, (2) si plures propositiones idem subiectum habent, at diuersum praedicatum, (3) si plures propositiones idem praedicatum habent, at diuersum subiectum (4) si una propositio praedicatura habet, quod est subiectum pluriū aliarum, (5) si una propositio subiectum habet, quod est praedicatum pluriū aliarum, (6) si plures propositiones sunt aequivalentes, (7) si inter plures propositiones intercedit subalternatio, ut aliae aliarum exempla esse possint. (8) si una propositio indeterminata est, et aliae aut determinationem diserte addunt, aut determinationi inueniendae inseruiunt. Conf. §. XIII. et schol. Huc igitur pertinent omnes illi casus, quum ex aliis propositionibus patet, num in certa aliqua propositione praedicatum subiecto aut absolute, aut cum adiunctione, aut exceptive, aut restrictive, aut reduplicative sit tribuendum. (9) si de subiectis sibi inuicem oppositis in pluribus propositionibus praedicata enunciantur. (10) si una propositio

*De nexus propositionum in scientia.*



32 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

positio sine modo quid enunciat, aliae vero modum vel differte addunt, vel ei inueniendo inferuiunt. Hoc nexus explicatiuo simul erroribus cauetur, siquidem confusio erroris est effectrix. Hinc etiam explicandum, qui fiat, ut ab initio aliquius propositionum seriei omnia obscura esse videantur, et progreſſu omni aperta et lucida fiant. 2) Alter nexus *demonstratiuus* est, quo plures propositiones ita inter se iunguntur, ut alia aliam certam reddat: Quod fit, si una propositiō ex aliis ratiocinando colligitur, seu, si aliae propositiones aliarum principia sunt. Quod si complexus aliquis propositionum vel ex toto, vel maxima ex parte ratiocinationem polyfyllogisticam constitueret potest; is complexus vocatur *systēma*, et nexus propositionum systema efficientium est *systematicus*. Complexus propositionum solis rationibus externis efficiendarum I. propositionum intuituarum, et historiacarum non est systema, neque nexus earum est systematicus. licet ipsae cum suis principiis formalibus sint in nexus demonstratio. Sic etiam complexus propositionum aut solis rationibus internis aut iunctis his cum externis demonstrandarum, nisi conclusiones iterum adhibeantur ut praemissae aliarum conclusionum, non potest iure vocari systema, neque nexus in eodem est systematicus. Ergo complexus iudiciorum discurrunt inferioris gradus non est systema. Nexus systematico ingens certitudo propositionum in eodem constitutarum obtinetur. Non solum enim hae propositiones rationibus internis stabiliuntur, sed etiam quoniam principia aliarum propositionum sunt, ex consecratiis ipsarum veritas magis elucescit. Accedit, quod propositionum dignitas, pondus, foecunditas, in hoc nexus luculentius appetit. Imo propositionum cœtae circumscriptioni codem felicissime propicitur. Neque tamen existimandum est, nisi in nexus systematico, veritatēm aut certitudinem propositionum esse non posse. II) datur etiam nexus propositionum *ad scientiam præparatoriū*. Est autem hic nexus I) vel eiusmodi, ut ad scientiam in genere præparet, cum aut nullae propositionum

num rationes afferuntur, aut certe earum nexus cum conclusionibus non exponitur, ut itaque solus nexus explicatus locum habeat. Cuius nexus exemplum habes in scriptis historicō-dogmaticis, in quibus partes constitutiae alicuius doctrinæ proponuntur, sed earum nexus demonstratiuus, et quasi structura ratiociniis distincte non explicatur. 2) Vel eiusmodi, vt tantum ad scientiam vel stricte sic dictam, vel eam, quam scientiam *dicitur* vocavimus, præparet, e. g. si plures propositiones intuitiuae ita iungantur, vt inde vel formatio notionum abstractarum, vel propositionum variuersalium derivatio, vel rationum *dicitur* invenio facilior euadat.

## §. XXIV.

Methodum scientificam §. II. diximus eum esse ordinem, *Ordinem cognitionum* quo scientia promouetur. Hanc definitionem esse veram notionem, possemus demonstrare prouocando ad experientiam et exempla a quibus ista notio abstracta est. Sed malum magis a priori eius veritatem approbare, præsertim quum multi in hanc opinionem ingressi sint, eamque etiam crebro verbis profiteantur, methodum esse arbitriariam. Haec enim sententia, si eo sensu vera esset, quem *isti* homines ei tribuunt; perinde esset, quonam ordine utaris, et quo loco cogitationes colloces, et quouscunq; ordine scientia aequa bene possit obtineri. Haec falsa persuasio melius fortasse conuelletur, si ex ipsa scientiae indole ostenderimus, ordinem certum requiri, quo cogitationes nostræ collocentur, si ad scientiam contendamus. Omnino duo insunt in quouis ordine. *Primum*, vt plura inter se iungantur; *deinde*, vt cuiusvis suus positus et locus ex regula constanti et communī adscriptus sit (§. I.). Praeter principium absolute primum omnes reliquæ propositiones, si scienter eas cognoscere velis, iungendae sunt cum aliis, quae sunt ipsarum principia (§. XXIII.). Igitur, quod primum diximus in ordine esse, id ad cuiusvis propositionis, cuius est distincta certitudo, pertinere scientiam, liquido apparet. Iam nec alterum, quod est in ordine, absesse debere in propositionum continuatione, si earum scientiam

34 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

feliciter acquirere velimus, nem nō obscurum aut dubium esse poterit, qui cogitauerit, scientiam vnius propositionis tam ratione distinctionis quam respectu certitudinis ab aliarum propositionum cogitatione pendere (§. XXIII.), hinc non perinde esse, quaecum propositio praeponatur, quae postponatur, sed, quoniam effectus tum demum prodire potest, quando causa adest, eas propositiones, quarum cogitatio est effectrix scientiae aliarum, his prius cogitari debere, adeoque propositionibus suum locum designari ex constanti illa regula: *Quae-cunque propositio est effectrix scientiae alterius, ea huic prae-mittatur*, seu hac prius cogitetur. Methodus hanc legem sequens est scientifica (§ II.); haec igitur omnino ad scientiam est necessaria.

§. XXV.

*Leges methodi scientiae.* Quum nexus propositionum, quarum est scientia, effe-ctius duplex sit, explicativus et demonstrativus; ex regula §. XXIV. proposita, qua ordo scientificus dirigitur, iam porro haec magis explicata regula sponte sua fluit: *Quae propositiones alias ita explicant, ut sine hac explicacione neque intelligi, neque probari possint, eae sunt his alias per ipsas explicandas prae-mittendae: et e quibus propositionibus aliae aut certae aut pro-babiles evadunt, atioquin incertae aut dubiae, eae sunt his alias prius cogitandae.* Hinc consequitur, 1) iis propositionibus, quas termini ingrediuntur, quibus conceptus confusi sed tam-en fixi respondent, ad ipsas intelligendas non necessario de-bere praemitti illorum terminorum definitiones. 2) Quarum propositionum terminis conceptus aut confusi aut distincti sed vagi respondent, earum cogitationi praemitti debere aut per-ceptionem intuitiuam obiectorum iis terminis significatorum, et attentionem ad eam tam diu continuatam, vsque dum con-ceptum confusum et fixum illorum adipiscamur; quae percep-tio exemplis potissimum iuuatur: aut definitionem eorum terminorum, si eas propositiones intelligere velimus. 3) Quo-niam definitiones cum suo definito propositiones constituant, de iis idein valere, quod n. 1. et 2. de propositionibus in ge-nere

nere diximus. 4) Quae propositiones se inuicem determinant atque illustrant, secundum §. XXII. i.) — 10) quantum per reliquas leges fieri potest, proxime se excipere debere. 5) Si qua propositio ex solis rationibus externis probetur, ad eius probationem non opus esse, vt ei definitiones terminorum ingredientium praemittantur, sed tamen conceptus terminorum propositionem ingredientium confusos et fixos antea informandos esse. 6) Iudicia, quae aliorum principia sunt, his prius debere cogitari. 7) Si propositio ex solis rationibus internis s. a priori probanda (§. XIX.); ei præmitti debere aut definitionem subiecti, vel absolute, vel cum adiunctione quadam positi; aut partem illius definitionis, seu propositionem conceptum distinctum incompletum de subiecto continentem, si haec iam sufficiat ad nexus praedicati cum subiecto perspicientium. 8) Si propositio experientia mediata aut sola aut rationi sociâ primi gradus (§. XIX.) stabilienda fuerit, non opus esse definitione subiecti, sed tamen notione fixa. 9) Antequam propositiones probentur, eas explicandas esse (n. 8. 7. 5. 4. cf. 2.) tam definitionibus terminorum, aut certe horum conceptibus distinctis confusisue sed fixis, quam exemplis. 10) Si de definitionibus certi esse velimus, his præmitti debere cogitando non solum omnes regulas definiendi cum subsumtionibus, quibus definitio ad regulas istas examinatur; sed etiam aut toti iudicia singulas notas definiti enunciantia, cum suis probationibus, quo notae continentur in definitione, si definitio aut reflecendo, aut abstrahendo formetur; aut si haec per arbitriam combinationem informetur, iudicium, quo possibilis conceptui ita informato ex idoneis rationibus tribuitur (n. 6.). 11) Problematibus non solum ea iudicia præmitti debere, e quibus veritas corum, si ut theorematum hypothetica spectantur, apparere potest; sed etiam ea, quae demonstrant, ea fieri posse, quae resolutionem ingrediantur: atque in problematum resolutione, quae prius fieri debent aliis, ea etiam ante reliqua cogitari debere.

## 36 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

### §. XXVI.

*Methodus  
scientifica in  
proponendo.*

In proponendo propositiones aut eo ordine se excipiunt, quo cogitari debent secundum methodum scientificam, aut eo ordine non collocantur. Si posterius, fieri quidem potest, ut scientiam earum propositionum acquiramus, si in cogitando illae in ordinem scientificum redigantur: sed quia hoc difficultius procedit, consentaneum est, ut etiam in proponendo ipsi ordo seruetur, qui tenendus est in cogitando, si scientiam nobis comparare velimus. Si igitur in proponendo methodus scientifica adhibenda, 1. omnia, quae §. XXV. generatim de methodo scientifica diximus, seruanda sunt. 2. In iis tamen haec ratio isque inodus teneatur, vt semper spectemus, quid eorum, quibus proponimus, vires earumque mensura postulent: ne aut omittamus, quae tamen praemitenda fuerant, aut tam alte omnia repetamus, vt vel semper a primis principiis exordiatur oratio nostra, vel iis propositionibus, quae tanquam lemmata ex aliis disciplinis, quibus ii, apud quos agimus, iam imbuti sunt, aut saltu esse debebant, mutuo sumi possunt, principia sua praemittamus. 3. In scriptis, quae ad scientiam accommodata sunt, non solum compendia quaedam adhiberi possunt, sed etiam nonnulla seruari, quae quidem non necessario ad scientiam lectoribus tradendam pertinent, sed tamen magnas habent commoditates; ut 1) *excitatio paragraphorum*; hac enim illud obtinetur, ut (1) principia, quae tibi aut ignota aut obliuione obscurata sunt, evolvere atque has ratione de propositione aliqua certus fieri possis. (2) Ut terminorum, qui tibi aut obscuri, aut vagi adhuc sunt, explicationem evoluere et significatum fixum inde dicere possis. (3) Ut, quoties libuerit, vel distinctionem adaequatam conceptuum propositiones ingredientium, tot graduum, quot sunt inter conceptus irresolubiles et illos resolvendos, vel certitudinem propositionum adaequatam, tot graduum, quot sunt inter principia indemonstrabilia et propositiones demonstrandas obtinere possis. (4) Ut facile cognoscere possis, quaenam et quot principia cognosci debeant

ab

ab eo, qui de propositione aliqua conuincendus est. (5) Ut  
nexum sententiarum, adeoque etiam earum pondus et fo-  
cunditatem, itemque τρέπτων φύσις errantium, facilius dete-  
gere queas. (6) Ut demonstrationes et definitio[n]es mirifice  
contrahere possis. Tantum vero abest, ut in hac paragrapho-  
rum excitatione omnia esse possemus, ut potius iure nostro  
existimemus; primum multos scriptores, qui saepe miserabi-  
liter aut res explicauerunt aut sententias suas demonstrarunt,  
his citationum praeftigis lectoribus suis imponere: deinde,  
scriptum aliquod posse ad leges methodi scientificae principes  
accommodatum esse, quod his citationibus careat; licet omni-  
no hac omissione aut plures lectori difficultates et molestias  
creare, aut in maiorem molem ex crescere debeat, neque tan-  
tam utilitatem praefastare possit, quantam potuissit, si his ci-  
tationibus aliquantulum indulssisset: denique, vt in omni re  
ninium vertitur in vitium, sic etiam in hac paragraphorum  
citatione eodem iure derideri, qui nimirum ei operam impen-  
dunt, quo *Paragrapharius ille de Monsiro* lepide exagitatur ab  
*Aletheophilo in philos.* Briefen p. 45. id est a philosopho incom-  
parabili et harum rerum insigniter gnaro *Alexandro Gotthlieb*  
*Baumgarten.* 2) *Numeratio paragrapborum continua serie,*  
quae ad citationem breuiores accommodata est. 3) *Discri-  
mētū illud in formis litterarum, adhibitum ad distinguendas de-  
finitiones ab aliis propositionibus, itemque propositiones de-  
monstrandas ab earum demonstrationibus.* 4) *Inscriptio titu-  
lorum, seu nominum, quibus propositiones a mathematicis  
in signari solent; et si quid aliud est ad maiorem commodita-  
tem librorum, qui scientiam tradunt, inuentum.* 4. Ut eo  
celeriores progressus in scriptis scientificis legendis facere pos-  
simus, praemiteenda est lectio scripti dogmatici historici eius-  
dem argumenti, aut si tale desit, lectio praeparatoria ex eis-  
dem libro scientifico instituta (§. XXIII.); ad quam faciliorem  
reddendam in primis conductit illa distinctio propositionum,  
de qua n. 3) diximus, praesertim si accedit noua distinctio  
earum propositionum, quarum historicā cognitio ad praepa-  
rationem

38 SECT. I. DE METHODO SCIENTIFICA

rationem sufficit. In altera regula huius paragraphi multa iterum praecpta continentur, quae fusius docere non est huius loci; sed vincum tamen hoc loco annotabimus, quo praecepitur, ut ob exiguum virium in discentibus mensuram saepe consultius sit, terminorum technicorum usum plane omittere, et propositiones iis terminis enunciare, qui explicationem illorum technicorum ingrediuntur, quam discentibus onus tam recordandarum definitiorum, quam ratiociniorum in applicandis istis propositionibus adhibendorum imponere, cui ferendo adhuc impares sunt.

§. XXVII.

*Quales propositiones continere debet doctrina methodo Scientifica pertractanda.* Doctrina, in qua est series propositionum, inter quas intercedit nexus scientificus effectius (§. XXIII.), est *scientia obiectiva summa*. Quae si proponitur methodo proponendi scientifica (§. XXVI.), in formam *scientiae redacta* dicitur. Ergo 1. complexus propositionum in libro historico-dogmatico propositarum nondum est *scientia obiectiva summa*. 2. Quoniam propositiones intuitivae (§. XXII.) tantum principiis formalibus (§. VII.) nituntur, quae, quum in Logica doceantur, cuius nota esse debent, atque adeo in methodo proponendi scientifica secundum §. XXVI. 2. plerumque omittuntur, nisi suspicio fuerit, vitium aliquod in experiendo commissum esse. complexus propositionum intuitivarum ratione formam scientiae induit. 3. Complexus propositionum discursuarum inferioris gradus (§. XXII.) ob eandem rationem raro habet formam scientiae. Ut e. g. complexus propositionum generalium ex intuitiuis per regulas logicas inventarum. 4. Vbi igitur doctrina quaedam formam scientiae habere debeat, in ea non solae propositiones intuitivae, nec solae discursuuae inferioris gradus, sed etiam illae ulteriorum graduum, aut theorematum, aut problematum, saltem consecratio ex propositionibus intuitiuis, proponi debent. 5. Etiam si insignis pars alicuius doctrinae propositionibus intuitiuis aut discursu-

discursus gradus inferioris absoluatur, tamen ea scientia obiective sumta esse, huiusque formam habere potest: si modo  
 a) propositionum intuituarum et discursuarum inferioris gra-  
 dus principia, quantum per §. XXVI. 2. licet, proponuntur,  
 et omnia seruantur, quae ad scientiam propositionum empiricarum et historicarum obiective sic dictarum §. XVI. XVII.  
 requisita sunt. b) Si ex ipsis propositionibus consequaria, aut  
 theorematum aut problema deriuantur, ut nexus demonstrati-  
 vus major sit; c) si dordo in nexus explicatio secundum §. XXV.  
 1. 2. 3. 4. tenendus seruantur; d) si propositiones, quarum lo-  
 cus non prorsus determinatur per leges ordinis in nexus scien-  
 tifico effectivo, tamen ita collocantur, ut nexus ad scientiam  
 praeparatorius, §. XXIII. n. II. 1) cf. §. XXIII. n. (2) — (5)  
 et (8) et §. XVI. n. 7. a nobis explicatus, elueat.

Quod ultimo loco n. 5. d. possumus, non ita necessarium est, ut doctri-  
 na, in qua hic nexus ad scientiam praeparatorius cum effectivo illo  
 non coniungitur, scientia obiective sumta esse non possit. Sed in  
 tali doctrina, de qua loquimur n. 5. ea res quodammodo supplet de-  
 fectum scientiae strictius sic dictae et scientiae dicitur.

### §. XXVIII.

Methodus, qua aut conceptus aliquius characteres, aut  
 propositionis oblatae principia queruntur, est *analytica*. Me-  
 thodus autem, qua aut conceptus ex aliis conceptibus claris  
 tanquam characteribus componuntur, aut principiorum con-  
 nexione syllogistica aliae propositiones eruuntur, est *synthe-  
 tica*. Methodus synthetica est scientifica vere talis: sed ta-  
 men analyticā 1) ad scientiam praeparat, siquidem principia  
 dergit, a quibus cogitatio profici sci debet, si aliquius propo-  
 sitionis scientiam obtinere volumus. 2) Est directrix in medi-  
 tatione secundum methodum syntheticam; siquidem prouidet,  
 ne ad alia omnia delabamur, quae non sunt principia  
 propositionis demonstrandae. 3) Cauet nobis a vitio, §. XXVI.  
 2. a nobis reprehenso, in primis si non scriptis sed sermoni-  
 bus et disputationibus apud alios agimus. 4) In repetitione  
 omnes

40 S. I. DE METH. SCIENTIF. QVAED. GENER.

omnes vtilitates praefstat, quas de citationibus peragraphorum demonstrauimus §. X VI. 3. (1) — (5) Ex his rationibus apparet, quatenus methodus analytica etiam possit vocari scientifica.

§. XXIX.

*De coniunctione methodi scientificae cum aliis methodi formis.*

Methodus scientifica potest simul esse 1. methodus scholae, quod experientia satis docet. Id tamen omnino praecipiendum est, vt, si quando leges methodi scholae, cum legis methodi scientificae colliduntur, haec illis praeferenda sint. Neque methodus tabellaris ita repugnat methodo scientificae, vt non saepè cum hac coniungi queat. Imo quoniam is nexus explicatiuus, qui §. XXIII. 2. 1. 4. 5. 7. 9. propositus est, in methodo scholae et tabellari potissimum locum habet eaque memoria valde adiuuatur, maiora comoda inde enaefuntur, si haec methodus cum scientifica coniungitur. Potest igitur nonnunquam, vt methodus scholae eo melius adhiberi queat, propositio aliqua, quae demum in posterioribus probari potest, iam ante principia sua proponi; dummodo circulus in demonstrando vitetur. Neque minus 2. methodus scientifica potest simul esse methodus dialogica: quod quidem multis exemplis ostendi potest: imo etiam 3. methodus declamatoria, siquidem saepe regulæ orationis pulchrae et eruditæ simul seruari possunt. Methodus scientifica synthetica, in qua methodo declamatoriae nullus locus conceditur, et regulæ §. XXIV. 3. allatae simul obseruantur, est methodus mathematica significatu rigoroso. Ergo non omnis methodus scientifica esse debet mathematica significatu rigoroso.

Has methodi formas cum methodo scientifica posse consistere, ex ipsis earundem notionibus cum indole methodi scientificae collatis demonstrare possem: nisi ad Sectionem specialem, ob quam haec prior pertractata est, properandum esset.

SECTIO

## SECTIO II.

DE

APPLICATIONE METHODI  
SCIENTIFICAES AD LINGVAS  
DOCENDAS.

## §. XXX.

**Q**uum iam satis, ut arbitror, de methodo scientifica generatim disputauerimus Sect. I., videndum nunc erit, *Argumentum sectionis.* quid de vsu huius methodi in linguis docendis sententium sit. Atque ut quaeftionis propositae eo melius satisfaciamus, haec dicendorum capita nobis praescripsimus, ut *pri-* *mum* de linguis in genere, et quid cognoscendum sit ab eo, qui linguae peritus dicendus sit; *deinde* de possibiliitate methodi scientificae in linguis docendis, *tum* de comodis quea ex huius methodi vsu ad linguarum doctrinam redundant, *denique* de regulis et cautionibus in hoc negotio feruandis, tantum quantum tempus et huius scriptioris limites permitunt, disputemus.

## §. XXXI.

*Lingua est complexus omnium vocabulorum, de quibus singulis hominibus ad aliquam societatem pertinentibus conuenit, ad cogitationes suas sibi mutuo indicandas.* Hinc conſequitur, 1) non omnem complexum signorum, quibus cogitationes significantur, esse linguam; dantur enim alia signa cogitationum, quea non sunt vocabula: ergo si eiusmodi complexus signorum quea non sunt vocabula, lingua appellatur, fit illud fynedochice; 2) neque quemvis vocabulorum complexum constitvere linguam, sed omnia simul sumta, quibus singula societatis cuiusdam membra inter se utuntur; 3) licet pro se quisque homo vocabulis vti possit, quibus cogitationes sibi, non aliis, significet, et complexus eiusmodi vocabulorum etiam significatu latiori possit vocari lingua, eamen

F signi-

42 SECT. II. DE APPLICATIONE

significatu strictiori, quem nos adhibemus, linguam eorum modo vocabulorum complexum esse, in quaे plures homines consentiunt, seu, quibus plures sibi mutuo cogitationes significare possunt; 4) tot esse lingua, quoт sunt vocabulorum complexus, quaе a singulis societatis aliquius membris inter se usurpantur, ab aliis autem ad alias societates pertinentibus non intelliguntur; 5) cuique vocabulo ad linguam pertinenti suum significatum tributum esse a pluribus intelligendum; 6) quoт cogitationes vel sint conceptrus, vel iudicia, vel ratiocinia, non solum ea vocabula, quibus conceptus absolute cogitati, significantur, sed etiam eas aut voces aut vocum determinationes, quibus tam conceptuum quam iudiciorum iungendorum relationes, indicantur, constituere linguam.

Si lingua in maiore aliqua societate communis est, quaе tamen in minore societate, illius parte, paulo alter adhibetur, ac in aliis coetibus illius maioris societatis, illa minor societas *dialecto* linguae communis vti dicitur.

§. XXXII.

*Experientia docet, in linguis, ut nunc inter homines adhibentur,*

1. vni saepe vocabulo plures significations esse tributas.
2. plures vocabulorum mutationes esse introductas, vel ad mutationes significatus principis vocabulo nondum mutato respondentis significandas; quaе mutationes possunt vocari *significantes*: vel aliam ob rationem; quaе *non significantes* possent dici.
3. plura esse vocabulorum genera et species ratione cognitio- num iis significatarum. Illa enim
  - 1) aut conceptus sine copula denotant, qui
    - (a) vel subiecta vel praedicata principalia fieri possunt; et dicuntur *nomina*, quorum
      - a) quae et subiecta et praedicata principalia fieri possunt, *substantia*,
      - b) quae autem tantum praedicata principalia esse possunt, licet subiecta minus principalia fieri possint, ea *adiectiva* vocantur.

(2) ne-

*Observationes  
generales de  
linguis.*



- (2) neque subiecta neque praedicata principalia esse possunt, et sunt *particulae*.
- 2) aut significant praedicatum, copulam, et relationem ad subiectum peculiari vocabulo adiiciendum, seu *personam*. Huiusmodi vocabula vocantur *verba*.
4. alias mutationes vocabulorum pendere ab adiectione aliorum vocabulorum, alias non item. Illae prioris generis possunt vocari *mutationes relatiuae*, posterioris generis *mutationes absolutae*. Omnes hae mutationes in diuersis linguis admodum variae sunt.
5. si vocabula inter se iungantur vel ad *phrasin* i. e. seriem vocabulorum connexorum quae nondum propositionem efficit, vel ad propositionem constituendam; non solum mutationes relatiuae vocabulorum (n. 4.) sed etiam saepe ordinem quandam adhiberi.
6. in mutationibus et coniunctione vocabulorum quandam similitudinem seruari, quae efficiat, ut possint propositiones generales de iisdem constitui, seu *regulae*, quarum quae de mutationibus praecipiunt, *etymologicae* vocantur; quae autem coniunctionem vocum in phrasibus et propositionibus docent, *Syntacticae*.
7. vocabula variis sonis effici, qui *elementa* vocantur; quae simplicia sunt, si non iterum ex aliis sonis tanquam partibus componuntur, et *vocalia* quidem, quae absque alio sono, *consonantia* vero quae non sine vocalibus efferti possunt. Si vocabulum pluribus elementis compositum in tot partes secatur, quot elementa vocalia in eo sunt, et elementa consonantia sine transpositione ad id vocale referantur, quocum per genium linguae optime efféruntur; eiusmodi partes vocantur *syllabae*.
8. non modo elementis vocabula constituentibus, sed etiam quibusdam determinationibus tum elementorum, tum syllabarum, tum vocum integrarum, tum propositionum, significandis in plurimis linguis signa esse reperta quae figuris absoluuntur. Figurae elementorum vocantur

## SECT. II. DE APPLICATIONE

- tur litterae, figurae autem posterioris generis, *notae dia-criticae*. Si istae figurae formantur, scribi dicuntur, *legi* autem, si ad eorum normam sonus vocabulorum effertur.
9. multum referre, quomodo soni vocabula constituentes efferantur, non solum singuli per se, sed etiam cum aliis coniuncti; et in una lingua saepe esse sonos, quibus nulli respondent in aliis linguis.
  10. inter syllabus unum vocabulum constituentes viam potissimum intendi solere, quae *tonum* habere dicitur, cuius neglectio saepe vocabula obscura reddere possit.
  11. in modo sonos vocum efferendi et tonum syllabis tribuendi suavitatem aut commoditatem ab iis, qui lingua aliqua videntur, quaeri, nec omnibus idem esse pulchrum; ideo varias esse in linguis mutationes vocum introductas ad euphoniam accommodatas, quae *euphonicae* vocari possunt, ut ab aliis mutationibus distinguantur.
  12. in primis suavitatem non exiguum repertam esse in mixtione illa longarum breviumque syllabarum; quae, si ad mensuram omnium syllabarum exigitur similitudine servata, *metrum* vocatur. Sin autem non solum maiori varietati in hac mixtione locus conceditur, sed nec omnes syllabae ad mensuram accommodantur, *numerus oratorius* adhiberi dicitur.
  13. nonnullas linguas a doctis hominibus, in primis oratoribus et poetis ita esse cultas, ut non solum euphonia (n. 11.) metrum et numerus oratorius (n. 12.) in illis melius adhiberi possit, sed etiam locupletiores, puriores, ad cogitationum varia genera aptiores, ad vocum iuncturas magis flexibles, et ad maiorem cogitationum vivacitatem obtinendam accommodatores i. ornatores euaserint: ideoque insigne discriben oratum esse inter sermonem aut locutionem quotidiana consuetudinis, et orationem.
  14. in una eademque lingua saepe varietatem deprehendi, ratione habita *tum aetatum, tum regionum et dialectorum in*

in iis visitatarum, tum singulorum hominum ea lingua  
uentium, in primis auctorum.

## §. XXXIII.

*Vocabulum intelligit*, qui conceptum ipsi respondentem *Quis linguae*  
*ex illo auditio lectio cognoscit*. *Phrasim intelligit*, qui non *alicuius per-*  
*solum vocabula singula phrasim efficiunt intelligit*, sed etiam *tus disendus*  
*determinationes nouit*, quas conceptus vocabulis responden-*st.*

*Lingua intelligit*, qui eius vocabula et phrases intelligit. *Lingua calleat*, qui eam intelligit, eiusque ope sermones, cum  
hominibus ea lingua videntibus conferre potest. *Vt quis lin-*  
*guam calleat*, necesse est  
1. *vt sonos quibus vocabula componuntur a se inuicem distin-*  
*guere possit* (§. XXXII. n. 7.) *non solum si eos audit*, sed  
*etiam si ipse eos format*.

2. *vt in quolibet vocabulo tonum ei syllabae tribuat*, cui com-  
petit (§. XXXII. n. 10.)

3. *vt omnium vocabulorum*, quorum in negotiis suis aliquis  
vus locum habet, significaciones teneat, ita *vt si voca-*  
*bulum audiat significatus quoque animum subeat*, et si con-  
ceptum, cui vocabulum aliquod responder, cogitat, hoc  
in promptu habeat (§. XXXII. n. 1.)

4. *vt vocabulorum genera saltem confuse distinguere possit*  
(§. XXXII. n. 4.)

5. *vt mutationes vocabulorum significantes ab euphoniciis di-*  
*stinguere possit*, illarumque significatus ita teneat, *vt*  
*eas non solum intelligere*, sed etiam in sermonibus suis  
*rite adhibere queat* (§. XXXII. n. 2. 12.)

6. *vt non solum mutationes vocabulorum absolutas, sed etiam*  
*relativa*, ita *vt n. 5. dictum*, teneat (§. XXXII. n. 5.)

7. *vt phrases ita intelligere et adhibere possit*, uti de vocabu-  
lis dictum est n. 3. §. XXXII. n. 6.

8. *vt vocabulorum phrasiumque ordinem sciat* (§. XXXII. n. 6.)  
Quodsi praeterea ex scriptis proficeret velit, necesse est,

9. *vt litteras possit pronunciare*, notarum diacriticarum signi-  
ficatum

- ficatum teneat, voces in syllabas distribuere, adeoque integra vocabula legere possit (§. XXXII. n. 9.)  
 Et si ipse scribere velit, praeter ea quae n. 9. dicta sunt, requiritur, ut  
 10) tam litterarum, quam notarum diacriticarum figuras pingere possit (§. XXXII. n. 9.)  
 Si praeterea lingua ita vti velit, ut a doctis hominibus oratoribus atque poëtis exulta est, necesse est,  
 11) vt vocabula, quibus isti homines linguam locupletarunt, orationisque veneres (§. XXXII. n. 14.), et in iis tum numerum oratorium, tum metrum (§. XXXII. n. 13.), tum mutationes vocum euphonicas (§. XXXII. n. 12.) teneat.  
 Si denique lingua ita aliquis callere velit, ut interpretetur et criticum agere possit, requiritur, praeter haec omnia, quae diximus  
 12) vt de linguae alicuius perfectione, de aetatum, dialectorumque discrimine iudicare, et quid huic illius auctori proprium sit, videre possit (§. XXXII. n. 14.)

## §. XXXIV.

*Quomodo  
orthoeopia  
scientia sit.*

In cognitione vocabulorum alicuius linguae, quatenus haec sunt soni, 1) quales soni in lingua in usu sint, experientia certo constare potest. 2) soni vocabula constituentes, qui ab hominibus maxime rudibus inter se confusi et mixti representantur, possunt etiam separatim clare percipi suisque noninibus tanquam terminis technicis insigniri: quod plerunque tum demum a nobis fieri solet, cum figuram elementorum litteras discimus. Itaque conceptus vocabulorum, quatenus ea sunt soni, distinctos acquirere possumus. 3) elementorum simplicium aut definitiones aut descriptiones saltem geneticas consideratione organorum loquacis physica reperi possumus. 4) ex his genera elementorum constitui possunt, ut genera gutturalium, lingualium cert. 5) hinc prouentus notionum ultra vulgi consuetudinem abstractarum terminorum technicorum, definitionum nominalium, propositionum vniuersalium et determinatarum gignitur. 6) et quum

quum multarum mutationum vocabulis accidentium ratio dicitur in natura sonorum illa efficientium continetur, prouide propositiones de ipsis sonis constitui possunt, e quibus cognitio philosophica istarum mutationum peti potest. Quare non est dubium acquiri a nobis posse cognitionem elementorum, quibus vocabula componuntur, eruditam, imo scientiam (§. X—XXI.) quae *Orthoëpia* dicitur.

Ab hac scientia dependet ars memorabilis, eos, qui surdi nati sunt, loquela docendi, in qua inclarerunt *Wallisius* et *Ammon*, qui etiam scriptis eius pracepta dederunt.

### §. XXXV.

In collocando tono 1) linguis similitudinem quandam *Quomodo Orthoëpia* seruare, ex qua per inductionem obseruata notiones abstrahi, *tononia scientia sit.* terminis technicis denotandae, et definitionibus nominalibus determinandae, itemque propositiones vniuersales et determinatae, utrū exceptiuae (§. XIII.) condi possint, experientia docet. 2) Nec raro tum ex regulis de euphonía et faciliore pronunciatione, tum ex ipsa perfectionis alicuius linguae notione, tum ex vocabulorum et syllabarum consideratione orthoëpica, tum ex gentis lingua aliqua vtentis ingenio et natura deriuandis ratio dicitur collocationis toni reddi potest, adeoque huius, si non cognitionem philosophicam certam obtinere, at hypotheses probabiles ponere licet. 3) Quoniam ex toni collocatione multae saepe mutationes vocabulorum pendent, prouide tales propositiones constitui possunt, e quibus ratio dicitur illarum mutationum reddi potest. Ergo toni collocandi cognitio erudita imo scientia acquiri potest (§. X—XXI.) cuius pracepta tradit *Orthoëpia*, quae est pars Orthoëpiae, si haec significatu latiori sumitur, ut sit scientia regularum vocabula pronunciandi.

### §. XXXVI.

Quod ad figuras litterarum notasque diacriticas attinet, *Quomodo Orthoëpia* 1) distincte etiam illae a nobis cognosci et non solum per similitudinem cum aliis rebus describi, sed etiam per definitiones explicari possunt: quod in primis feliciter saepe procedit, si figure

rae

## 48 SECT. II. DE APPLICATIONE

rae magis compositae ex simplicioribus tanquam partibus concreuisle finguntur. 2) Saepe vni eidemque literae aut notae diacriticæ varii significatus aut vni eidemque vel elemento vel huius determinationi denotandæ plures figuræ tributæ sunt, quod non facile vaga et incerta ratione, sed constantia quadam adhibita factum est, adeoque per regulas determinari potest, quae, vt fatis breues et determinatae esse possint, saepe terminis technicis horumque definitionibus effici potest. 3) Nonnunquam figuræ istae essentialē habent significatum, adeoque ratio reddi potest, cur haec, non alia figura adhibita fuerit. Fieri igitur potest, vt literarum notarumque diacriticarum acquiramus cognitionem eruditam, imo scientiam (§. X—XVI.); quae traditur in *Orthographia latrius dicta*, quae aut docet, quisnam cuique literae notaeve diacriticæ significatus tribuendus, aut, vbi et quomodo quaeque istarum figurarum pingi debeat, quod posterius in *Orthographia stricte sic dicta* docetur.

Ad n. 1. conferri potest, quod ostendit quidam in *Agendis Scholasticis*, quae Berolini nuper prodierunt p. 102, 103.

## §. XXXVII.

Significatus vocum, quum rarissime essentialis sit, ex vsu descendens est; quod valet *tum* de significatu, qui voci competit, quatenus haec sine mutationibus, quarum ea capax est, spectatur, *tum* de mutationum istarum significatione. Conuincor autem de significatu aliquius vocis, *vel* per testimonium, *vel* propria inquisitione. *Posteriori* *vel* prorsus sine adhibitis testimoniis fieri potest, vt si vernacula discimus, *vel* sive cum propria inquisitione iuncta, vti sit in linguis mortuis. Quum significatus sit finis vocabuli, adeoque tanquam effectus possit spectari, cuius medium et causa est vocabulum: sequitur, vt, si propria inquisitione significatus quaerendus fuerit, hic eadem ratione reperiatur, qua ratione causas et effectus peruestigamus. Si igitur reperio, quotiescumque aliquis vocabulo quodam vsus fuerit, aut ex alio audierit, toties etiam cognitionem hanc illamue mentem illius subiisse: con-

*Quomodo  
significatum  
cognitio  
scientia esse  
possit.*

vincor sane ipsa experientia, istam cogitationem esse significatum illius vocabuli. Qualem vero cogitationem aliquis cum vocabulo coniunxerit, colligi licet *vel* ex obiectis, quae aut praesentia aut per imaginem intueri possumus, si per ea cogitationem istam vocabulo iunctam excitatam esse reperimus; *vel* ex relatione vocabuli ad alias voces nobis iam notas, si ex ea characteres cognitionis cum vocabulo coniunctae peti possunt. Quid vero eruditae cognitionis atque scientiae in hoc viuero significatum querendorum negotio locum habeat, iam dicendum est. Nam 1) siue propria inquisitione, siue testimoniis de significatu alicuius vocis conuincamur, fieri illud non potest legitime, nisi regulae logicae ad hoc negotium proprias applicatae a nobis obseruentur, quae si scienter a nobis intelliguntur et rite quoquis casu applicantur, certitudinem significatum ita quaesitorum eruditam nobis praefant, adeoque scientiam. 2) Non solum possunt, sed et debent nonnunquam vocabulorum significatus per definitiones explicari, tam ad distinguendas significationes, quae facile confunduntur, quam ad minwendam significatum multitudinem ab hominibus obtusis assumtam. Quod non solum sine erudita cognitione fieri non potest, sed ad ipsam eruditam significatum cognitionem pertinet. 3) Si vni vocabulo plures subiectae sunt significations, non modo possunt saepe, sed et debent nonnunquam illae ad vnam principem et originariam reuocari, quod sine erudita illorum significatum cognitione fieri non potest. Ex his satis apparet (cf. §. X—XVI.), eruditae cognitioni atque scientiae omnino locum esse in significatibus vocum peruestigandis. Scientia regularium significatus vocum inueniendi est *Lexiographia I. Lexica*. Illud igitur *Lexicon scientificum* erit, in quo significatus vocum ita traduntur, ut secundum regulas lexicographicas inuenti perspicue apparant.

## §. XXXVIII.

Quod ad mutationes vocabulorum attinet, 1) quaenam *Quonodo*  
in aliqua lingua in usu sint, potest experientia comprobari, *Etymologia*  
G *2) disci- sit scientia.*

2) discrimen mutationum non significantium a significantibus ex certis principiis effici potest (§. XXXVII. XXXII.). 3) Mutationum non significantium ex principiis orthoëpiae et orthotoniae ratio dicitur saepe reddi potest, adeoque cognitio philosophica obtineri. 4) Mutationum significantium vis eadem ratione, qua significatus vocabulorum in genere secundum §. XXXVII. peruestigari adeoque eruditè et scienter cognosci potest. 5) Mutationum tam significantium quam non significantium regulæ et praecepta generalia inueniri possunt (§. XXXII.), quae notiones abstractas et terminos technicos parunt, quorum deinde definitiones tradi possunt. Vnde fatis apparet, esse etiam harum mutationum, quae vocabulis accidenti, quandam scientiam (§. X—XV.) quae *Etymologia* dicitur.

### §. XXXIX.

*Quomodo  
syntax sit  
scientia.*

In construendis vocabulis, quae aut phrasin aut perfectam sententiam efficere debeant, 1) quibus mutationibus relativis (§. XXXII.) quovis loco vocabula afficienda sint, tum ex illarum, tum ex vocum, ad quas referuntur, significatione, tam generali (§. XXXII. 4.) quam speciali, certo et eruditè cognoscenda (§. XXXVIII. 4.) ostendi potest. 2) Et quoniam mutationum relativarum sunt significatus generales, hae possunt melius, quam a vulgo fit, determinari consideratione conceptuum et propositionum logica et rhetorica in consilium adhibita. 3) Ordinis etiam, quo vocabula inter se coniungi debent, sive non solum regulas generales melius, quam a vulgo fieri solet, determinandas præcipi, sed rationes etiam ex indole cogitationum vocabulis significatarum reddi possunt. 4) Termini technici ad regulas breuius enunciandas adhiberi, et definitionibus circumscribi possunt. Quare est etiam collocandorum vocabulorum quedam scientia (§. X—XV.), quae *syntax* appellatur.

Quod n. 3. diximus de rationibus ordinis ex cogitationum indole cognoscendas, id in latina lingua difficultius ostendi potest. Periculum tamen fecit

fecit Cl. M. Christoph. Andr. Büttner in Programmatibus suis von der  
oratorischen Folge: quod hic diuidare mihi non sumo.

## §. XL.

Quum 1) breuitas et longitudine syllabarum saepe regulis *Quonodo*  
accurate determinatis et per inductionem comprobandis praec. *Profodia sit*  
cipi possit, 2) huius syllabarum quantitatis ratio vel ex orthoë *scientia.*  
pica vel ex etymologica syllabarum indole saepe reddi queat,  
3) ordo, quo tam syllabae singulæ, quam plurium syllabarum  
complexiones inter se iungi debeant, regulis determinatis  
comprehendi possit; 4) huius ordinis ratio ex principiis eu-  
phoniae generalioribus derivari licet; 5) hoc metri artifi-  
cium notiones vltra vulgi confuetudinem abstractas et termi-  
nos technicos pariat, qui deinde definitionibus explicari pos-  
sunt: appetet sane, etiam metri esse quandam scientiam (§. X.  
—XV.) quae *Profodia* dicitur.

## §. XLI.

Quum Grammatica sit doctrina Orthoëpiam, Orthoto- *De Gramma-*  
nian, Orthographiam, Etymologiam, Syntaxin et Profodium *tica scientifi-*  
complectens, et haec singulæ doctrinae, uti demonstratum a *ca et philoso-*  
nobis est, scientiae nomes tueri possint, nemini dubium esse  
poterit, Grammaticam esse possit scientiam. Imo, quoniam in  
illis grammaticae partibus etiam cognitio philosophica saepe  
locum habeat (§. XXXIV. XXXV. XXXVI. n. 3. XXXVIII. n. 3.  
XXXIX. n. 1. 3.), non esse cur Grammaticam philosophicam  
rideamus (quamquam ei, quae vere talis est, raro irridetur);  
dubitari non potest.

Ob eandem rationem, qua supra §. IX. adductus sum, ut cognitionem  
philosophicam a rationali et a scientia distinguere, hoc etiam loco  
Grammaticam scientificam et philosophicam distinguere debere existima-  
vi: licet Grammaticae scientifica, si fieri possit, utiliter sit etiam philo-  
sophica.

## §. XLII.

Quum 1) dialecti in eo tantum differant a linguis, quod *Quonodo criti-*  
ad pauciorem hominum multitudinem sunt restrictae  
(§. XXXI.), haec autem differentia non impedit, quo mi- *tica lingua-*  
nus omnia, quae a §. XXXIV.—XXXIX. de lingua in genere *rum esse pos-*  
*sit scientie.*

diximus, etiam ad dialectos applicemus, harum quoque est quaedam scientia; 2) ex regulis de perfectione linguae in genere a priori cognoscendis de perfectione huius illiusve linguae in specie, scienter iudicari possit; 3) aurea aetas cuiusque linguae ea sit, qua haec maxime ad regulas de perfectione linguae exculta fuit; adeoque scienter diiudicari possit, quae nam fuerit cuiusque linguae aetas aurea, atque ex hac deinde reliquarum aetatum spatia determinari liceat: dubitari profecto non potest etiam in *Criticam linguarum* cadere scientiam §. XXXIII. n. 12.

*Scientiam cul-  
tioris stili.*

### §. XLIII.

Neque stylum cultiorem gustui relinquendum, sed eius quoque scientiam esse posse, ex eo intelligi potest, quod non modo ex regulis generalioribus de linguae perfectione ad linguam, quae in visu est, applicaris, sed etiam ex regulis de perfectione cognitionis sermone alius tradendae, scienter perspicere potest, quae voces quaque illarum constructiones prae reliquis adhibendas, et quis earundem ordo optime seruetur: qua quidem in re cernitur omnis stili venustas.

### §. XLIV.

*Vniuersam  
linguae aliqui-  
us discipli-  
niam esse posse  
scientiam, et  
iam stricte sic  
scientiam.*

Hactenus de singulis doctrinis, quae ad linguarum disciplinam pertinent, demonstrauimus, cadere in eas scientiam §. XXXIV—XLIII. conf. §. XXXIII. Quare iure nostro vniuersitate iam pronuntiare posse nobis videatur, totam linguae disciplinam scientiae esse capacem. Et quoniam supra §. IX. scientiam stricte sic dictam et latius acceptam sollicite sciuimus, non hanc modo, sed et illam in linguarum studio facultatem habere: quiuis largietur, qui definitionem illius cum argumentis nostris §. XXXIV—XLIII. allatis comparauerit. Ut autem hoc posterius Iuculentius adhuc appareat, dispescemus vniuersam linguae disciplinam in duas partes, quarum una regulis absoluitur, altera in significatus singulorum vocabulorum inquirit, et de utraque hac parte sigillatim idem quod diximus demonstrari posse arbitramur. Ac 1) de priori quidem parte illud sic euinci potest. 2) Omnium propositionum generalium

neralium per experientiam mediata rationi sociam, etiam si haec primi modo gradus fuerit, comprobandarum, est scientia stricte sic dicta (§. IX. conf. §. XIX. 2.). Iam vero omnes regulae generales verae in linguarum doctrina hac saltem ratione probari possunt: itaque scientia stricte sic dicta eas cognosci posse non est dubium. 3) Ex regulis ope experientiae mediatae rationi sociæ primi gradus comprobatis generaliores adhuc deduci possunt ope notionum a notionibus specialioribus subiectorum, quae in regulis specialioribus sunt, ulterius abstractis: quae via propositiones probandi ad scientiam stricte sic dictam omnino pertinet. 4) Quin regulae, quae non solum ad philologiam et grammaticam vniuersalem pertinent, sed etiam ex iisdem necessario fluunt, non excludendae sint ex Philologia specialiori, non desunt in linguarum disciplina propositiones a priori demonstrandæ, quae certe non nisi scientia stricte sic dicta cognoscuntur. 2) Quod autem ad significatus vocabulorum attinet, multi quidem eorum solo testimonio probari possunt, adeoque scientia eorum est illa latius dicta. Sed tamen 2) quae significations experiendo cognoscuntur, eae omnes experientia mediata rationi sociæ cognoscuntur (§. XIX. n. 2. coll. §. XXXVII.), et quidem, si ex ipso obiectorum intuitu significatus imminutur (§. XXXVII.), tamen non nisi experientia mediata rationi sociæ primi gradus illud fieri potest (§. XIX. 2.). Sin autem significatus vocabuli ex huius relatione ad alias voces appositi eruitur, tunc adeo analysis quaedam conceptuum vocabulis istis appositis significatorum requiritur. Ergo in utroque casu scientia stricte sic dicta eiusmodi significatus cognosci possunt. 3) Imo, quod quidam non satis cogitarunt, est etiam in tribuendis significatibus quaedam similitudo in linguis adhibita. Sunt linguis diuersis suae peculiares metaphoræ, metonymiae, synecdochæ, e quibus potissimum varietas significatus vnius eiusdemque vocabuli enata est. Sunt item cuique linguae suae peculiares phrases, non modo quae ex peculiari eius linguae syntaxi ortae sunt, de quibus iam non loquimur, sed etiam quae ex peculiari cogitandi modo

54 SECT. II. DE APPLICATIONE

gentis alicuius deriuandae sunt. Quodsi haec similitudo diligenter animaduerteretur, largiretur ea nobis regulas generales, et harum complexus daret nobis alteram Lexicorum partem, quae *Analogia lexicographica* posset vocari. Quae non nisi per scientiam stricte sic dictam eruenda foret.

Ad hanc *Analogiam lexicographicam* possunt etiam regulas de significatione formalis mutationum, quibus nomina et verba afficiuntur, referri, neque tamen necessario ad Lexica sunt reiiciendae, sed plurimae illarum consutius in *Grammatica et Etymologia* in specie proponantur. Huc etiam pertinent regulae in *Grammatica ebraea* a nonnullis traditae, de verborum, quae aut cognatis radicalibus absoluuntur, aut imperfectione sua inter se cognata sunt, significatibus cognatis, vel iisdem, vel similibus, vel connexis, vel in se inuicem resolubilibus. Cf. *Danzii Literat.* p. 403 — 410. Cel. *Zenckelii Comment. Gram. ebr.* p. 555.

§. XLV.

*Quotuplici modo sententia nostra opugnetur.*

Qui huic nostrae sententiae de scientiae in linguarum doctrina possibilitate aduersantur, ii vel 1) negant certitudinem in linguarum doctrina obtineri posse, aut quia sceptici homines sunt, aut quia necessitatem rerum cum certitudine cognitionis earum confundunt, aut quis aliud certitudinis genus ad scientiam necessarium esse existimat, ac a nobis requiritur (§. V.). Vel 2) negant cognitionem linguae esse posse eruditam, saltem eo modo, quomodo eruditam cognitionem descripsimus (§. X — XXI). Vel 3) aliam scientiae notionem sibi informarunt, ac nos eam definitimus §. III. IV. quem vel scientiam experientiae et fidei opponant §. III. n. 6. vel scientiam ab arte distinguant §. III. n. 7. vel eam scientiam, quam scientiam dicit (§. IX.) vocauimus, solam hoc nomine insigniunt. Qui hoc posteriori modo nobiscum pugnant, ii possent nobiscum sentire scientiae possibilitem in linguarum doctrina contendentibus, quem ii verbis a nobis discrepant; nisi eo usque procederent, vt plane nullum locum ei scientiae, quem ipsi solam ita vocant, in linguarum doctrina concederent. Nos enim non ii sumus, qui dicamus, vel in singularum doctrina omnia argumentis internis sine fide et experientia demonstrari

monstrari posse, vel propositionum omnium in linguarum doctrina occurrentium nexus absolute necessarium esse, vel omnes propositiones e rationibus dicti effici posse. Neque tamen si fatus, qui vel argumentis internis, vel nexui propositionum absolute necessario, vel demonstrationi ex rationibus dicti, nullum plane locum in linguarum doctrina relinquamus.

## §. XLVI.

Quaecunque doctrina primo iis propositionibus absolutur, quarum potest acquiri scientia, deinde non solas propositiones intuitivas, aut discursivas inferioris gradus continet, sed etiam discursivas vteriorum graduum complectitur, quae vel ex intuitiuis et discursiis inferioris gradus derivantur, vel a priori cognoscuntur; denique propositiones tam intuitivas quam discursivas inferioris gradus ita proponit, uti §. XXVII, n. 4, a. γ. d. dictum est; ea doctrina methodo scientifica proponi potest (§. XXVII.). Iam haec singula de doctrina linguae aliquius dici possunt, nam 1) propositionum, quibus linguae disciplina absolvitur, omnino acquiri potest scientia (§. XLIV. cf. §. XXXIV - XLIII). 2) doctrina linguae non solum propositiones intuitivas et discursivas inferioris gradus continet, sed et harum consecutaria, theorematum et problemata (§. XLIV, n. 1, β. 2, β.); imo propositiones a priori cognoscendas (§. XLIV, n. 1, γ. 3) quod §. XXVII. n. 4, a. γ. d. dictum est, in doctrina linguae fieri omnino potest; etenim 2) salvo §. XXVI, 2. multorum propositionum tam intuituarum quam discursuarum inferioris gradus prabationes dari possunt, et debent. Multae enim tam regulae, quam significations vocabulorum haud generaliori prouocatione ad experientiam probari debent, sed principiis suis et concludendi modo distinctorum. Nihil quoque impedit, quo minus ea, quae §. XVI. XVII. ad scientiam empiricam et historicam requisita sunt, praestari possint. 3) ordo in nexu explicatio tenendus in doctrina linguae omnino seruari potest. Quum enim in ea *acc.* definitiones traditae possint (§. XXXIV - XXXVI. XXXVIII, n. 5. XXXIX, n. 4. XL, n. 5.) imo ha-

Linguarum  
doctrinam se-  
cundum me-  
thodum scien-  
tificam posse  
pertractari.

rum

## 56 SECT. II. DE APPLICATIONE

rum definitionum aliae ex aliarum definitis saepe componantur (per experientiam), leges ordinis in nexus explicatiuo (§. XXV, 2. 3.) seruari possunt. ββ) quum porro tales propositiones in doctrina linguae occurrant, quae secundum §. XXIII. n. 1, 2 - 10. in nexus explicatiuo sunt, regula ordinis in hoc nexus secundum §. XXV. n. 4. tenendi obseruari potest. γγ) possunt etiam eae propositiones, quarum locus nondum per leges methodi scientificae effectuiae determinatus est ita collocari, vt nexus ad scientiam praeparatorius (§. XXIII.) eluceat. Sic e. g. propositiones intuitivae, aut etiam communes, at specialiores, eiusdem praedicati, quae nondum generaliore propositione comprehendendi possunt, in unum locum colligi queunt, vt notio, sub qua omnia subiecta istarum propositionum comprehenduntur, facilius inueniri possit. Sic etiam rationes dicitri multarum regularum, quae quidem ex ipsis illis regulis demum derivantur, tanquam causae ex effectibus, tamen ipsis regulis praemitti possunt, quo magis appareat, esse illas veras causas, si reperitur, regulas ex iis deriuari posse: vt e. g. in *Orthoëpia* principia *Etymologiae*, in hac *Syntaxeos* principia tradi possunt, licet illa principia *orthœpica* conclusiones propositionum *etymologicarum*, et principia *Syntaxeos etymologica* conclusiones propositionum *Syntacticarum* sint. Hic igitur studium scientiae dicitri suadet, vt in nexus propositionum ad eam praeparante, conclusiones, quae rationes dicitri praemissarum continent, tanquam hypotheses philosophicae primo sumantur, ex iis deinde ratio dicitri illarum praemissarum, quae iam vt conclusiones spectantur, reddatur, ipsaque ea re a posteriori probentur. Hac ratione sine vilo detrimento propositiones doctrinae haud a priori demonstrabilis, tamen eo ordine collocari possunt, quo collocandae essent, si ea doctrina a priori demonstrari posset. Viximus igitur, vt arbitramur, doctrinam linguae secundum methodum scientificam proponi posse.

## §. XLVII.

*Sed satis de possibiliitate methodi scientificae in linguis do-*  
*cendis*

*De commo-*  
*ditis ex usu*



cendis dixisse videor. *Sequitur*, ut de commodis disputem, methodi scientiae ex istius methodi vnu ad linguarum institutionem ac doctrinam redundare existimem (§. XXX.). Vno eodemque labore poterimus causam huius methodi, quam suscepimus, tum aequis iudicibus approbare, sum a quorundam contentionibus vindicare. Hi, quos aduersarios ea in re habemus, vel contendunt, non esse tanti, ut de scientia alicuius linguae tam solliciti simus, quae etiam sine scientia ita disci possit, ut finem, qui in lingua discenda nobis propositus esse debet, obtinere queamus; vel pugnant, scientiam, quam magni omnino aestimant, sine methodo illa scientifica aequre bene acquiri posse. I) qui priorem sententiam fount, ii) non tam in methodum scientificam quam in ipsam scientiam iniurii sunt, et si attenderimus, triplici potissimum causa ad hanc iniuriam compelli reperientur. 1) quia certitudinem non ita ut decet aestimant. Hi vel omnem certitudinem flocci faciunt, nec est quod cum his hominibus pugnemus, qui id contemnunt, quod in vniuersa hominum cognitione pulcherrimum nobis datum est: vel minore certitudine contenti, maiore non ita opus esse arbitrantes, in auctoritatibus grammaticorum et lexicographorum acquiescent. Quod si in istis modo linguis facerent, e quarum notitia vel ad eruditionem in genere, vel speciatim ad literas humaniores, historiam, et maxime ad sanctiores literas, non adeo multum utilitatis redundant; non esset, cur magnopere eos redrgueres. Sed quando etiam in iis linguis mortuis, quae doctae appellari consueuerunt, et in primis in linguis authenticis librorum veteris et noui testamenti ita ignauit, grauiter omnino reprehendendi momentique sunt, ut, quantum certitudinem veterum monumentorum, historiarum, sententiarum priscorum philosophorum, maxime vero eorum, quae in sacris literis a viris diuinis actis pronunciata sunt, ad se pertinere arbitrantur, tantum etiam certitudini in linguarum, quibus ista consignata sunt, notitia acquirendae tribui debere existimunt. Omnino ad certitudinem in iis linguis, quae hodie inter gentes quotidiano

## 38 SECT. II. DE APPLICATIONE

no sermone usurpantur, tanto apparatu non est opus, vbi usus ipse, consuetudo cum hominibus, quibus linguae illae vernaculae sunt, et quotidiana colloquia id nobis praestant, quod in mortuis linguis non nisi diligent inquisitione in grammaticorum regulas et lexicographorum observationes earumque probations, id est earum scientiam obtineri potest.

## §. XLVIII.

**Continuatur.** 2) *quia certitudinem magni omnino ut decet aestimantes, eam tamen ab erudita cognitione se iungunt, et linguas quotidiano vsu discere malunt, quam praecepis earum erudit ex cogitatis imbuji.* Quae quidem sententia eo vtique valet, ut scientiae in linguis docendis locum non relinquit, quum ea non modo certa sed etiam sit cognitio. Higitur omnem grammaticorum et lexicographorum industriam contemnunt, neque hoc solum in linguis hodie vigentibus, sed etiam in demortuis illis ita sentiunt. Fateor, non sine aliqua veri specie isti causam suam agunt. Experientiam testem excitant, quam facile vel ipsi infantuli linguam vernaculam solo vsu, nullis praeceptis, discant; quam breui temporis spatio aliae lingue hodie florentes, ut gallica, italica, anglica, consuetudine et colloquiis imbibantur: quam e contrario longum iter sit per praecepta. Conqueruntur etiam haud raro miserabiliter, fortunam adolescentum in scholis ad humanitatem et eruditionem informandorum, qui a prima pueritia saepe ad iuuentutem vsque linguarum praeceptis defatigentur, et vix tandem probabilem facultatem vel solius romanorum linguae adipiscantur. Nec defuere, qui *auctori libelli gallice primum scripti et Londini 1669. in 12 iterum excusi* hac inscriptione: *An examen of the way of teaching the Latin tongue to little children by use alone* (cuius argumentum copiose enarrat Morbofius Polybius. Tom. I. p. 422-426.) ad stipularentur, qui regi Galliarum suasit, ut ciuitatem aliquam latinam institueret, in qua sola conuersatione latinam linguam pueri doceantur. Alii vero, et si talem ciuitatem platonicae reipublicae similiorem iudicent; tamen hac in re cum illo scriptore faciunt, quod

quod *latinum* aliasque linguis demortuas multo melius *usu* et consuetudine aut certe sola lectione auditorum scribendique exercitatione, quam e praceptoris addisci existimant. Ut his, qui ita sentiunt, distincte responderemus, ad has, quicquid ea de re cogitabamus, positiones reuocatum. (1) ad id, ut eo sermone in lingua aliqua vti possimus, qui in quotidiana locutione adhibetur, non solum conducere colloquia affida cum hominibus istam linguam callentibus, sed etiam sufficere, neque aut praceptorum subtilitate, aut lectione auditorum opus esse arbitramur. (2) sed in linguis demortuis raro ea opportunitas nobis contingit, vt cum idoneis hominibus ita colloqui possimus. (3) Inde haud raro plus detrimenti afferunt eiusmodi colloquia, vt *vel* voces impuras, *vel* vocum purarum falsos significatus, *vel* illegitimas verborum constructiones, et quae sunt alia vitia, non solum in loquendo, sed in scribendo etiam, adhibendi consuetudinem nobis contrahamus. (4) ne in vigentibus quidem linguis colloquia totam rem conficiunt; si enim accurate scribere velimus, lectio auditorum classicorum iungenda est; sin autem praeterea *criticos* agere velimus in eiusmodi linguis, scientia omnino carum opus est, sine qua dextre de iis indicare easque emendare magisque perficere plane non possumus. Siquidem haec linguarum emendatio requirit, vt ideam linguae suis numeris absolute nobis distincte informemus, ad eiusque normam linguam emendantiam exanimemus, atque expurgemus. Quod quomodo sine illius linguae scientia fieri possit, non intelligo. Quare laudabilem operam viri de cultura linguae germanicae solliciti collocarunt in *grammaticis lexicisque* eius condendis, vt *Boedicerus*, eiusque emendatores, vt *Frischius*, vt excellentissimi viri *Gottschedius*, *Reichardus* et nuper *Popovitsch*. (5) quam linguis, quae inter mortales conticuerunt, e colloquis discere vel prorsus non vel difficulter possimus, colloquiorum penuria auditorum lectione compensanda est. Iam ex hac aegre et fero admodum linguae aliquius facultatem nobis comparatur esse, nisi erudita institutio accederet. Nam, si vul-

## 60 SECT. II. DE APPLICATIONE

gari atque eo modo ex ancoribus linguam discere conaremus, quomodo e colloquiis linguam adhuc vigentem discimus, idem nobis faciendum foret, quod fieri animaduertimus in quotidianis confabulationibus, quibus linguam docemur. In his enim, quoriam frequentissimae sunt, idem vocabulum, eadem cuiusque vocabuli significatio, eadem vocis alicuius mutatio, eademque vocum quarundam constructio, saepissime redeunt; haec omnia memoriae insiguntur; mox ipsi quoque loqui incipimus; qui nos audiunt, ii probant, reprehendunt, corrigunt; et sic tandem fit, vt, si aliquandiu eiusmodi colloquiis interfuerimus, linguae facultatem celeritatemque adipiscamur. Haec omnia in lectione auctorum ita fieri nequeunt. Neque enim tam frequens esse potest lectio, quam confabulatio, neque quod aliquoties legimus ita in memoria haeret, quomodo, quae frequentissime audita sunt. Neque auctores nos, si ipsi loquuntur aut scribunt, probare aut reprehendere possunt, nisi in promptu habeamus locos, vbi ipsi idem aut simile quid locuti sunt. Horum locorum obseruatio, si ad singula verba eorumque mutationes constructionesque pertineret, immensam efficeret farraginem. Ergo coepitum est, quae diversi sunt acute distinguat, quae similia sunt ingeniose in unum colligi. Atque haec res peperit tandem praecepta grammatica et obseruationes *lexicographicas*, id est eruditam linguæ institutionem. Haec igitur in linguis mortuis discendis supplerre debet defectum perpetui usus et quotidianæ consuetudinis, et quod in linguis vigentibus memoria potissimum et casuum simillium expeditatio praefat, id in illis demortuis intelligentia et ratio efficere debet. (6) ad interpretationis certitudinem firmatatemque, qua libri lingua demortua scripti explicantur, necessaria est regularum grammaricorum significatiuumque, qui vocibus tribuuntur, scientia, si mem non amplius fluctuare debeat. (7) quo igitur magis necessaria est alicuius interpretationis certitudo, eo magis scientiae eius linguae, in qua liber explicandus scriptus est, studendum. Quare in *linguis sacris omnium maxime quaerenda est talis scientia.*

(8) Quin

(8) Quum eruditio cognitio ceteris paribus semper praestantior sit vulgari illa, hoc etiam in linguarum cognitione valebit.  
 (9) Neque tamen si sumus, qui dicamus, quemlibet linguae scientia aliquando initiaendum statim ad omnia scientiae mysteria admittendum esse. Qua de re pluribus infra. (10) Quantum linguae alicuius studium docta institutione et scientia iuatur, tantum non modo inutilitatis, sed damni etiam assert institutio, quae quidem, quoniam ex regulis suscipitur, scientiam aut certe eruditionem mentitur, longe autem abest ab ea scientiae vera indole, quam supra descripsimus §. X - XXI. Neque distitemur, scientiam alicuius linguae a malo doctore saepe perperam doceri. Atque hinc illae lacrimae n. 2. quas certe scientiae ipsius indoles et applicatio rite facta nemini vnuquam imperabit.

## §. XLIX.

3) Quemadmodum sunt, qui aut certitudinem in linguae notitia acquirendam, aut praecepta doctrinam eorum institutionem contemnunt (§. XLVII. XLVIII.), ita alii non nulli reclusi in veroque sentiunt, sed tamen in eo a nobis dissentunt, quod nos *scientiae* in linguarum institutione insigne utilitatem vindicamus. Licer enim videatur, ut cum nobis scientia sit cognitio erudita, quatenus est certa, illi vrrumque hoc, quod ad scientiam referimus, nimirum certum illud et eruditum, in cognitione linguarum magni aestimantes, a nobis dissentire non possint, sed scientiae idem pretium quod nos statuere debeant; tamen, quoniam paulo alias eruditiae cognitionis ideam sibi informarunt ac nos eam descripsimus (§. X - XXI.), nobis aduersantur. Si facile nobis concidunt, multum utilitatis ex eo redundare, si institutio et doctrina linguarum sit erudita. Ipsi, vt supra vulgus in linguis sapere videantur, in regulis et praeceptis iisque rebus, quae a vulgi cognitione remotae reperiuntur, gnauire desudent. Sed tamen, quoniam vaga admodum cognitionis eruditiae notio res vntur, verbis siepe nobiscum sentire videntur, quum verso ad applicationem res venerit, eunt in alia omnia. Ape-

Constituuntur.

## 62 SECT. II. DE APPLICATIONE

igitur, videamus quid sibi velint, quid sit, in quo a nostra tententia recedant. Facile nobis largiuntur, eam cognitionem esse eruditam, quae multas, dignas et viles propositiones vere, distincte, certo et vive cognoscet. Sed aliarum quarundam rerum, quas nos quidem ad eruditam cognitionem pertinere arbitramur, utilitatem non satis perspicunt, nec vident, eas ad id ipsum, ut cognitione sit erudita, maximopere requiri. 1. propositionum vniuersalium abstractionem tanti non faciunt, quanti aestimanda est. Qui ita sentiunt, atque aut in particularibus iudiciis acquiescent, aut magnam propositionum singularium aut certe specialiorum copiam vni propositioni vniuersaliori praeferunt, ii reuocandi sunt ad §phi XI. diligentem considerationem, et videbunt, neque copiam, neque dignitatem, neque laudabilem breuitatem, neque usum, neque certitudinem nostrae cognitionis tantam esse posse, quanta est, si propositionum vniuersalitas, quoad eius fieri potest, a nobis queratur. 2. vel terminorum technicorum usum non satis perspicunt; imo eos ita saepè contemnunt, ut eorum inuentionem barbare *scholasticorum* subtilitati tribuant, a quibus igitur abstiriendum sit, litteris ab his fordinibus repurgatis: vel sollicitam curam in terminis figendis superfluum existimant. His satisfacere poterunt, quae a nobis dicta sunt §. XII. 3) definitionum elegancia atque *æstheticæ* illis displicet. Quodsi hoc eorum fastidium tantum ad pruritum definiendi, quo multi vellicantur, pertineret; haberent nos consentientes. Sin autem generatim de omni definiendi sollicitudine non ita magnifice sentiunt, monendi sunt, vt aequa mentis trutina ponderare velint quae diximus §. XV. 4. neque iis satis placet tanta propositiones circumscribendi et determinandi sollicitudo, quanta a philosophis adhibetur. Itaque vagis saepe regulis *grammaticis*, aut propositionibus significatum vocis aliquius enunciantibus, contenti, reliquam determinationem usui se relinquere dicunt. Qui ita sentiunt, si non satis cogitarunt, quod §. XIII. lucide ostendimus. 5) aut cognitioni *philosophicae* id pretii non statuunt, quod

quod tamen illi tribuendum, si aequi esse volumus. Hos convincere poterunt, quae satis copiose §. XIV. demonstravimus.

6.) Aut argumentis internis, adeoque scientiae strictius sic dictae non tantum tribuunt, quantum par est. His satisfacere poslunt, quae §. XVIII. XX. et XXI. proposuimus.

## §. L.

Possem haec omnia, quae paragrapho antecedente dixi, *Quid scientia*  
*fusus persequi, ac proprius iis ad linguarum disciplinam ap-*  
*plicatis plura commoda, quae ex earum rerum vsu, quas isti*  
*contemnunt, evanescuntur, ostendere. Sed sufficit, exempli*  
*loco ea, quae §. antecedente n. 6. posuimus, uberiori expli-*  
*catione, et dilucidius docere, quanta commoda ex vsu scientiae*  
*strictae sic dictae, in primis si ea fuerit scientia dicitur, ad lingua-*  
*rum disciplinam redundant. Quod eo magis ostendendum*  
*est, quam plerosque, qui scientificum illud in linguarum do-*  
*ctrina fastidunt, potissimum scientia strictae sic dicta et scien-*  
*tia dicitur male habeat. Hos iam, si fieri poterit, ad maiorem*  
*traducere aequitatem conabimur. 1) Si linguae cognoscuntur*  
*scientia strictae sic dicta, et scientia dicitur; in quo linguae discre-*  
*pent, in quo consentiant, optime intelligitur. (1) Primum*  
*enim, quum immensus labor foret, hanc similitudinem dissi-*  
*militudinemque linguarum in singulis vocibus earumque affe-*  
*ctionibus quaerere, ea tantummodo in iis, quae ad analogiam*  
*cuiusque linguae pertinent, querenda est: quae, quoniam*  
*omnia a rebus singularibus abstrahenda ad scientiam strictae sic*  
*dictam referenda sunt, per hanc solam reperiuntur, (2) quum*  
*per scientiam strictae sic dictam solam cognoscatur, quid lin-*  
*guae in genere tribuendum sit, hoc autem singulis quoque*  
*linguis tribui debet, magna pars harmoniae linguarum per*  
*scientiam strictae sic dictam reperitur. (3) Si essentialia cuiusque*  
*linguae perspicuntur, optime et brevissime earum simili-*  
*tudo et dissimilitudo cognoscitur; sed essentialia aliquius lin-*  
*guae per scientiam strictae sic dictam, si haec simul fuerit sci-*strictius sic  
dicta et scien-  
tia dicitur in  
linguarum  
doctrina sti-  
latis praes-  
bet.**  
*entia dicitur,*  
*reperiuntur. Quum igitur harmonia linguarum ea-*  
*rumque discrepancia per scientiam strictae sic dictam et sci-*strictae sic  
dicitur et scien-  
tia dicitur in  
linguarum  
doctrina sti-  
latis praes-  
bet.**  
*entiam*

tiam  $\delta\circ\tau i$  optime cognoscatur; haec autem cognitio eo valeat, ut si plures linguae discendae sint, hoc alias satis vastum et diffusum studii genus breuius et facilius euadat; vtriusque illius scientiae in linguis docendis discendisque utilitas cuius apparet poterit. 2) Institutionis breuitas et regularum paucitas in linguis docendis discendisque potissimum quaerenda, scientia stricte sic dicta et scientia  $\delta\circ\tau i$  optime obtinetur. Quum enim haec vtriusque generis scientia *tum* iudicia vniuersalitatem optimam nobis largiatur, *tum* propositiones optima ratione determinet §. XIII. hac autem vniuersalitate et determinatione paucitas regularum et breuitas obtingetur: appareat sane eius quod diximus veritas. Iam, quum non solum in genere institutionis breuitati quam maxime studendum sit; siquidem ars longa, vita brevis est; sed etiam ei in primis in linguis docendis opera danda sit; quoniam linguae non tam propter se, quam ob ampliores eruditio[n]is opes earum auxilio comparandas discuntur; quantum utilitatis scientia stricte sic dicta, et scientia  $\delta\circ\tau i$  praefert in linguarum doctrina, obscurum esse non poterit. 3) Quum, quicquid in linguarum doctrina dicimus, ad praxin accommodari debeat, in primis videndum erit, ut praecpta et singulae propositiones, quae in linguarum doctrina traduntur, recte et facile applicari possint. Sed, ut hoc fieri possit, efficit scientia stricte sic dicta et scientia  $\delta\circ\tau i$ . Vniuersalitas enim propositionum atque praestantissima ratio propositiones determinandi, quae fit vel definitionibus subiectorum, vel adiunctione rationis sufficientis, sub cuius hypothesi praedicatum subiecto competit, id praefat, ut propositiones recte et facile applicari possint. 4) Arque ex hoc, quod n. 3. posuimus, iam porro noua utilitas scientiae stricte sic dictae, in primis si ea fuerit scientia  $\delta\circ\tau i$ , in linguarum studio emergit. Quum enim in linguarum doctrina non tam theoria quaedam, quam habitas aliquis quaeratur: hic autem nonnisi exercitio acquiri possit: appareat sane, id, ad quod referenda est omnis linguae institutio et disciplina, satis feliciter obtineri non posse, nisi propositiones et regulae in linguarum

rum doctrina fuerint facile applicabiles. Sed hanc applicandi facilitatem scientia stricte sic dicta et scientia dieteri praefat n. 3. Dubitari igitur non potest, magnopere in id incumbendum esse, ut linguarum cognitio sit scientia stricte sic dicta et scientia dieteri.

Duea praeterea res sunt, quae usum scientiae strictius sic dictae, in primis si ea simul fuerit cogitatio philosophica, commendare possunt. Primum, quum fieri vix possit, ut vel omnes phrases unquam adhibendas discamus, vel omnium, quas didicimus, recordemur, analogiae cuiusdam idea mens nostra imbuenda est, si linguae celeritatem comparare nobis confitendum est. Iam, si haec analogiae notio fuerit distincta, multo facilius et turius eam in imitandis phrasibus adhibere poterimus. Sed haec analogiae phrasum distincta notio non nisi scientia strictius sic dicta oblineri potest §. IX, cf. XIX, XLIV, et, quum, ubi eadem, aut similis plurim phrasum ratio est, haec eriam similes, et eodem modo formatae esse soleant, cognitione phrasum philosophica earum analogiam feliciter inuenire possumus. Deinde, sili cultioris facultas requirit, ut de eo, quoà pulchrius est in lingua iudicare possumus, hoc autem, nisi gustum aliquem temerarium sequi velimus, fieri non potest, nisi, quae in lingua a nobis adhibenda vobis introduxit, ad praecpta generalia linguae perfectione exigere valeamus. Haec autem res scientiam linguae, in qua sili cultiorem queraris, eiusque cognitionem philosophicam regnirit. Eodem modo patet, quae §. XLVIII. n. (4) de critico et linguae aliquius emendatore pronunciaimus, eum sine scientia eius linguae parum aut nihil praefare posse, illa de scientia stricte sic dicta esque, quae simul sit cognitio philosophica, esse intelligenda.

### §. LI.

II. Restat, §. XLVII, ut eorum quoque sententia conuelatur, qui scientiae in linguarum doctrina utilitatem insignem omnino agnoscunt, neque in scientiae notione, quam a §. X — XXI. uberiori explicatam dedimus, a nobis recedunt; sed tamen sibi persuadent, scientiam alia etiam methodo, quae non sit illa scientifica, aequre bene obtineri posse. Ut paulo distinctius his, qui ita sentiunt, respondeamus, duas quaestiones, quae hac in re moueri possunt, separabimus. I. Si id quaeritur, num in cogitando, si breuissima via ad scientiam tendimus, adhibenda sit methodus scientifica, ut nos eam descri-

## 66 SECT. II. DE APPLICATIONE

descriptissimus §. XXV. ita respondendum censemus. 1) Quum methodus cogitandi scientifica id requirat, ut eae cogitationes et iudicia, e quibus alia iudicia suam lucem et certitudinem accipiunt, his praemittantur: certe haec neque clara neque certa nobis esse possunt, nisi methodus scientifica in cogitando adhibeatur. Nisi forte velis, ut effectus ante causam suam existat. 2) Fieri omnino potest, ut iudicia per alia explicanda et demonstranda ante haec cogitemus, et postea, si haec cogitando adduntur illorum distinctam certamque cognitionem adipiscamur. Sed, cum iudicia per alia demum explicanda aut demonstranda primum ante haec cogitantur, ea tum neque distincte neque certo cognoscimus; quando deinde iudicia illa, quibus priora explicantur aut demonstrantur, accidunt; tum demum, si illorum priorum cognitionem repetimus, ea nobis distincta et certa euadunt. Hae autem sunt ambages, quae quo breuiores sunt, eo facilius ferri possunt. Id certe monet, si breuissima via ad scientiam tendamus, alter id fieri non posse, nisi adhibita methodo scientifica. 2. Sin autem id quaeritur, num in proponendo etiam, ubi quis aut oratione, aut scripto aliquum ad scientiam perducere velit, methodus scientifica adhibenda sit; ita arbitrabamur responderi debere. 1) Quum in proponendo optima via procedamus, si eodem ordine, quae dicimus, sequuntur, quo cogitationes in iis, qui audiunt leguntue, sese exciperē debent; certe melius agere non possimus, quam si in proponendo etiam methodum scientificam adhibemus, si constitutum nobis est eum, apud quem agimus, ad scientiam perducere. Quia tamen in re iis modus habendus est, quem §. XXVI. n. 2. praefcripsimus. 2) Si scriptum aliquod non fuerit ad leges ordinis scientifici accommodatum; tamen fieri potest, ut lector illius eo adiuuante ad scientiam perueniat. Dummodo enim propositiones ipse, quae alteri cuidam explicande demonstrandaque inferuntur, in isto libro reperiuntur, lector, iis collectis atque ordine scientifico cogitatis, illius alterius propositionis scientiam acquirere potest. Sed tum lector non tam

tam libro isti, quam suae ipsiusmet industriae scientiam acce-  
ptam refert. 3) Si sermonē, non scriptis, alicui scientia traden-  
da; tum multo difficultius fieri potest, vt auditor scientiam ac-  
quirat, nisi methodus scientifica adhibeatur. Quod enim in  
scriptis legendis fieri potest, vt propositiones longioribus in-  
teruallis disiunctas colligamus, collectas ordine scientifico dis-  
ponamus; id in sermonibus audiendis, perum procedit. 4) In  
scriptis, quibus ad scientiam instituimur, ea, quae sec. §. XXVI.  
n. 3. ad methodum scientificam in proponendo tanquam ac-  
cessio quaedam a nobis relata sunt, licet a nonnullis non sine  
ridiculo errore tanquam caput rei aestimentur, ea, inquam,  
non sunt ita necessaria, vt iis omisiss methodus scientifica esse  
non possit; sed tamen eadem insignem utilitatem secum ferre,  
quitius largetur, qui consideratius ea cogitauerit, quae eodem  
§. XXVI. n. 3. a nobis dicta sunt. 5) Non in omnibus libris, in  
quibus integer complexus alicuius doctrinae traditur, licet haec  
scientia esse possit, methodus scientifica adhiberi debet. Sunt  
etiam libri historico-dogmatici alicuius scientiae admodum vti-  
les, imo ad solam praxin saepe sufficiunt. Sed tamen (1) eius-  
modi libri historico-dogmatici neque praxi neque praeparationi  
possiunt, nisi a scriptore, qui eam doctrinam, quam in isto  
libro tradit, antea secundum methodum scientificam meditatus  
fuit. (2) Idem liber, qui methodo scientifica conscriptus est,  
simil vice libri historico dogmatici fungi potest, si ea, quae  
§. XXVI. n. 3. praecepta sunt, obseruentur, et praeterea eae  
propositiones, quae tum demum cogitari debent, cum scien-  
tiam proxime intendimus, a reliquis distinguantur. 6) Quo-  
nam methodus scholae, tabellaris, dialogica et declamatoria  
saepe cum methodo scientifica coniungi possunt §. XXIX. il-  
larum commoda non necessario relinquenda sunt, cum haec  
adhibetur.

## §. LII.

Quid igitur? quum methodi scientificae tantus sit usus, *Observatio de*  
vt illa neglecta in cogitando aut proponendo difficulter ad *methodi scienc-*  
*ificae usus* *bq.*

## 68 SECT. II. DE APPLICATIONE

*dierno et pri-* scientiam perueniamus; quare nunc demum ea methodus usurpari coepit? qui factum est, ut sapientissimi mortales priscis temporibus hanc methodum neglexerint? num ergo hi in tenebris ac rerum omnium incertitudine versati sunt? His minutis interrogatiunculis, ii, qui nostrae sententiae aduersantur, saepe efficiunt, ut nonnulli, qui parum attendunt, in eam opinionem perducantur, quasi methodo scientificae nimis multum tribueretur. Sed salua res est. Omnes eruditii et priscis et nostris temporibus, quoquot alicuius doctrinae scientiam aut ipsi acquisuerunt, aut alius tradiderunt, non nisi adhibita methodo scientifica id perfecerunt. Omne discrimen, quod inter hodiernos illius methodi amatores et propugnatores atque alios, qui eam methodum neglexisse visi sunt, et tamen scientiam acquisuerere, in his esse existimauerim: 1. Veteres illi, et qui eos sequuntur, remiserunt aliquantum de rigore, quem in definiendis notionibus, determinandis, demonstrandisque propositionibus melius obseruant hodierni. 2. Nostris maiorem constantiam fuerant in adhibenda methodo scientifica, quam illi veteres, et qui eos sequuntur, inconstantiores sint, arque illam methodum modo adhibeant, modo negligant. 3. Nostris argumentis propositionum internis plus operae coeperunt tribuere, quam veteres. Quae res non solum plures et accuriores definitiones peperit, sed etiam frequentiores demonstrationes stricte sic dictas. 4. Veteres in collisione methodi scientificae et methodi scholae huic iusto plus tribuerunt: nostri illam regnare iubent. 5. Veteres methodum scientificam liberiore sermone, et coniunctione methodi declamatoriae magis texerunt, quam nostri. 6. Veteres in libris suis ea, quae §. XXVI. n. 3. praecpta sunt, neglexerunt, quae studiosius a nostris tenentur. 7. Dum veteres in iis, quae n. 1. 5. et 6. diximus, negligentiores fuerant, eo plus laboris lectori reliquerunt; unde factum est, ut ea methodus, quae a veteribus adhibebatur, viros magis decere, methodus autem scientifica, vti a nostris adhibetur, adolescentibus relinquenda cederet. Quae omnia satis nos monere possunt, ne veteres nimis contemna-

## METHODI SCIENTIFICAЕ.

69

temnamus; neque tamen ita ingratim simus erga eos, qui methodi scientificae accuratiorem usum non sine multiplicitate fructu mathematicis disciplinis ad alias quoque scienter cognoscendas transtulerunt, ut methodo veterum idem pretium statuamus, quod tribuendum est ei formae methodi scientificae, quae hodie tam multos nacta est amatores.

§. LIII.

Reliquum est §. XXX. ut regulas quasdam et cautions Regulae quae-  
dam et cau-  
tiones ad  
usum methodi  
scientificae in  
linguorum  
doctrina ad-  
bibendae per-  
tinentes. adiiciamus, quas in omni hoc negotio applicandae methodi scientificae ad linguas docendas probe obseruari debere existimamus. His monitis illud etiam consequemur fortasse, ut qui huc usque methodi scientificae usum in linguis docendis se opposuerunt, animaduertant, se per errorem ea methodo scientificae tribuisse, quae eius abusus tribuenda fuerant. Quomodo doctrinae, quae vniuersam linguae aliquius disciplinam constituant, tractandae, ut scientiae nomen illis tribui possit ex §. XXXIV — XLIV. cf. XLVI. item ex §. X — XXI. satis patet; et speciatim, quomodo propositiones, quae aut experientia sola, aut fide sola stabiluntur proponendae, ut earum scientiam acquirere possimus, ex §. XVI. XVII. apparebit. Quomodo methodus scientifica adhibenda sit §. XXV — XXIX. ostensum est. Quemadmodum vero ea, quae praecepta sunt, peragenda, Logica quemuis docere potest. Quare ut hoc vberius ostendamus, non est opus. Has igitur modo cautions, uti se nobis obtulerunt, adiicere voluimus. 1. Ne, quia cognitione vniuersalis magnum in scientia momentum trahit, in abstractione omnia tibi licere existimes; atque vel eas notiones abstractas, quae captum discentium superant, vel ita in vniuersalioribus haerescas, ut applicationem earum ad specialiora et singulare negligas, vel propositiones discentibus proponas ita abstractas, ut hi non nisi longiore ratiociniorum serie, quibus nondum adfueri sunt, eas applicare possint. 2. Ne, quoniam iudicia determinata maxime ad scientiam pertinent, horum falsam tibi notionem informans, iudicia, quorum subiectum aut definitione aut determinationibus contingentibus

13

adie-



adiectionis determinatur, sola pro determinatis habeas, ac reliqua, quae non ita determinata sunt, spernas, §. XII. aut existimes eorum iudiciorum, quae aliter determinata sunt, non posse esse scientiam. Itaque noli exceptionibus Grammaticorum temere insultare. 3. Ne terminis technicis nimis indulgeas, ut vel notionibus abstractis inutilibus nomina inuenias, vel iis intempestiue adhibitis discipulis tuis molestus fias. §. XXVI. Quod tum maxime tenendum, cum discipuli tui fuerint adolescentuli. Cur igitur recte faciant, qui infantulos primo literas decent sine nominibus earum, nisi ea fuerint essentialia; itemque legere primo iubent, sine adhibitis nominibus elementorum non essentialibus, hinc diuidicari potest. cf. §. XXXIV. n. 2. 4. Ne temere et nouandi pruritu adducetas terminis technicis alium significatum tribuas, qui a Grammaticis non est receptus. 5. Ne omnes terminos definitiobibus explicare coneris. Contentus esto, si terminis notio confusa quidem at fixa respondet, nisi eorum distinctior cogitatio ratiocinando inferuiat. 6. Ne parum referre existimes, qua definitione vtaris, modo definieris; sed eam definitiōnem p̄ae reliqua querares, quae non solum facillime applicari potest, sed ex qua etiam breuissima via, quae de definito demonstranda sunt, deduci queunt.

## §. LIV.

7. Ne dicta illa: *definitiones sunt indemonstrabiles et arbitrariae*, falso interpreteris, quasi definitionum, si ut notiones spectantur, possibilitas non sit demonstranda, aut quasi non sit demonstrandum in notione distincta, quae definitiōnem constituit neque plus neque minus contineri, quam in definitiō notione confusa, aut quasi tibi liceat, pro arbitratu tuo ab vsu loquendi recedere. 8. Ne dictum illud: *in methodo scientifica incipiendum esse a definitionibus*, ita interpretaris, quasi nunquam liceat a propositionibus exordiri, quārum termini vel nulla prorsus indigent definitione, vel alibi iam definiti sunt, et quidem in doctrina, quae docendis iam nota esse debet. 9. Neue existimes, omnes omnis doctrinæ defini-

## METHODI SCIENTIFICAЕ.

71

definitiones in vnum quasi cumulum statim ab initio coacer-  
nari debere: methodus enim scientifica illud modo postulat,  
vt definitiones praemittantur propositionibus, quae ex iis ex-  
plicantur aut demonstrantur, non vt agmen propositionum  
in vniuersum omnium ducant. 10. noli existimare, propo-  
sitionem ideo precario assumi, si eius demonstratio in ea serie  
orationis, in qua occurrit ista propositio, non traditur; me-  
minto, ipsos mathematicos saepe lemmatis uti. 11. ne  
propositiones, quae nondum demonstrari possunt, continuo  
fastidias: etenim hypothesibus quoque in scientia locus conce-  
ditur. 12. neque tamen hypothesibus nimis indulgeas: vt  
aut iis contentus sis, vbi certis principiis locus est, aut pro  
iis tanto ferore contendas cum dissentientibus, quanto ve-  
ritas certa defendenda est.

### §. LV.

13. Ne propositionum probationes ex rationibus externis,  
vel experientia vel fide, contemnas, aut, quia nonnulli solas  
probationes ex argumentis internis demonstrationes vocant,  
omnes propositiones, quae non demonstrationibus strictius  
ita dictis probatae sunt, pro incertis habeas. 14. ne negligas  
probationes a priori deductas a posteriori confirmare. 15. ne  
existimes, te tum regulas grammaticas aut significatus vocum  
demonstrare, cum de iis philosopharis. Aliud est enim rei  
aliquius rationes *dicitur* vel probabiliter vel certo nosse, aliud ex  
iis rationibus veritatem illius rei perspicere. §. VIII. Possum  
rationes *dicitur* ex re ipsa tanquam ex effectu eruere, quod cum  
fit, illae rationes potius sunt conclusiones, quam praemissae.  
Quemadmodum igitur non licet res gestas in historiis ex ra-  
tionibus *dicitur* demonstrare, ita nec, quod in linguis eorum, qui  
eas aut inuenierunt aut excoluerunt, arbitratu institutum est,  
eo modo demonstrari potest. Ob alias rationes in lin-  
guarum doctrina philosophari vtile est. §. XIV. 16. non  
omnium propositionum demonstrationibus aequa impenden-  
da est opera. Quo igitur plus confert aliqua propositio ad  
linguarum doctrinam pertinens, ad finem linguae, qui is est,

vt

72 SECT. II. DE APPLICATIONE

ut homines inter se cogitationes suas communicare possint; eo plus operae ad eam propositionem demonstrandam conferendum est. Noli igitur putare, quo subtilius quid grammatici excogitarint, eo plus mereri, ut demonstretur; neque id ad methodum scientificam pertinere somnies.

§. LVI.

17. Qui regulas grammaticas et significatus vocum, quotquot ad scientiam empiricam aut historicam pertinent, ita docent, vti §. XVI. XVII. ostensum est, adeoque etiam rite a posteriori probant; qui regularum specialiorum multitudinem ad unam generaliorem reuocare student; qui plures unius vocis significatus, aut, si non vere fuerint diuersi, contrahunt, aut si fuerint diuersi, tamen, si fieri poterit, ad unam generalem referunt; qui in significaciones vocum eiusdem formae formales, et in analogiam troporum alicuius lingue inquirunt: ii plus merentur de linguae alicuius scientia, quam qui his omnibus neglectis de regulis et vocum significationibus philosophantur, n. 15. 13. §. IX. n. 7. §. XI. XLIV.

§. LVII.

18. Quum omnis cognitionis acquirendae modus problemate aliquo praecipi possit: id quoque valet in linguarum doctrina. Ergo cum methodus scientifica id postuleret, vt tum demum problematis solutionem aliquem praestare iubeas, cum hic iis rebus, quae in solutione praecipiuntur, par sit; methodi scientificae leges te monere possunt, ne unquam discipulum quid doceas, aut elaborare iubeas, nisi eae vires, quae secundum regulas psychologicas ad cognitionis tradendae acquisitionem requiruntur, antea a discipulo acquisitae fuerint. Itaque ipsa methodus scientifica postulat, vt in linguarum doctrina tam discenda, quam ad usum conferenda quidam cursus teneantur. 19. In primis is cursus tenendus est, vt antequam discipulus scientia imbuatur, ille historica cognitione partium constitutuarum et essentialium eius doctrinae, cuius scientia quaeritur, ante preparetur; in quo cursu omnes propo-

propositiones omittendae, quae tantum demonstrationi aliarum aut cognitioni philosophicae inferuiunt. Videant igitur, ne ipsi in methodi scientificae leges impingant, qui eas conamini suo prætendentes, discipulos suos ad ductum libri scientifici statim omnibus scientiae et cognitionis philosophicae mysteriis initiant: quam Pythagoram potius imitari deberent. Huius virtutis illi potissimum rei esse solent, qui ebraeam linguam adolescentes docent. Quod vitium ipse Danzicus grauissimus philosophicae cognitionis et demonstrationum in grammatica ebraea auctor acriter reprehendit in *præfatione* ad libellum, in quo *manuductio viam ostendens compendiam ad hebreæe linguae analysis traditur.*

Luber quedam hoc transferre, quae sapienter loco citato scripsit *Danzius*. „Hanc quippe a multis retro annis sententiam foueo, quae non docturis alios, spinosam illam permundandorum punctorum doctrinam, vix longo tempore satis extricabilem, nequamquam imponebit. Sed nuda verborum perfectorum nominumque formatione cognita, acquiefcit, post accuratam coniugationum thematumque a ieiinicem discretionem, in plena ac perfecta Syntaxeos evolutione, et paulo post: „Hac quoque via primum ducentos exstimo omnes alios, quantumvis iuuenes, aut prouersus adolescentes: donec h. m. primas vocum notiones hauserint. Experiencia magistra didici, intra semestre spatium has ratione longe altius proueni tirones, quam facta a punctis initio, intra biennium.“ Vtina haec etiam atque etiam cogitarent, qui adolescentes ebraeam linguam docturi sunt.

### §. LVIII.

20. Ne putas methodum scientificam necessario esse debere acroamaticam, potest ea etiam exoterica esse n. 19. 18.
- §. II. Peccant igitur, qui iam in scholis inferioribus linguam ebraeam tirones ita docent, uti docendi sunt, qui iam in linguis istis progressus non spernendos fecerunt.
21. neque putas methodum scientificam non posse esse catecheticam. §. XXIX. adeoque fieri non posse, ut in adolescentibus instituendis per interrogationum responsionumque reciprocationem, methodus scientifica adhibeatur.
22. Ut liber scientificus doctrinam linguae alicuius tradens simul vicem libri historico-dogmatici sustinere possit: utiliter definitiones ab aliis propositionibus,

nibus, haec a suis demonstrationibus, propositiones quae principia aut consecutaria aliarum eiusdem doctrinae sunt, a scholiis; propositiones, quae solummodo aliis demonstrandis inserunt ab iis quae ad usum et praxin spectant, signis quibusdam distinguuntur. Et quum, quae ad philosophicam cognitionem regularum grammaticarum spectant, non semper eas demonstrent §. LV. n. 15. quoties ea vim demonstrandi non habent, melius ad scholia reiiciuntur, quam ipsis propositionibus demonstrandis aut harum demonstrationibus immiscentur.

## §. LIX.

23. Ne in rationibus sonorum, quibus elementa vocabulorum constant, physicis peruestigandis incidas in virtutem illud *νατοβάσεως* eis ἀλλο γένος, ut eruditior videaris: sed omnium harum inquisitionum eum constitue modum, qui usui illarum in percipiendis mutationum, quae vocabulis accidunt, non significantium rationibus δίcti, accommodatus est. 24. ne in omnibus linguis aquam operam impendas loco toni vocabulorum regulis scienter excogitatis determinando. Sed, quo plures in lingua aliqua vocum mutationes a tono pendent, eo maiorem illius scientiae impendenda est opera. Ergo in ebraea lingua magis *Orthoroniae* scienter percipiendae studendum est, quam in aliis linguis. 25. ne in positu notarum diacriticarum, quo quaeque collocanda est, scienter cognoscendo, in omni lingua pari cura elabores. In lingua, qua tibi nil unquam scribendum, eiusmodi scientiae cura tanti non esset, quanti ea est in iis, in quibus tibi saepe scribendum: nisi forte ex positu notae alicuius diacriticae aliarum rerum utilium notitia, e. g. quenam sit syllabarum indoles, cognosci possit. 26. si unquam paucis philosophandum est, id tum valebit, si ratio, cur haec non alia littera in vocum mutationibus significantibus adhibita fuerit, reddenda est. 27. ne in punctis et lineolis ad significatum nihil facientibus tanto apparatu aut philosophheris, aut scientiam queraras, quanto in iis, quae ad significatum vocabulorum melius perspiciendum multum

tum conferunt. 28. ne, quoniam in *Orthoëpia* et *Etymologia* subtilius forsan philosophari potes, aut posse tibi fingis; *Syntaxin* plane negligas, ad quam tameu paene omnia in *Orthoëpia* et *Etymologia* tradenda conferri deberent. Quod non nulli faciunt, qui in *ebraea* lingua *Syntaxin* a reliquis *Grammaticae* partibus tam infasto diuertio segregant, vt *Syntaxin* res suas sibi habere iubant, neque eam doceant vñquam. Atqui in *Syntaxi* aperiretur latissimus campus, in quo excurrere possit philosophi virtus.

## §. LX.

Potuisse non solum plures eiusmodi cautions in ad-*Conclusio*.  
hibenda methodo scientifica obseruandas cum linguae docen-  
tur, afferre; easque pluribus exemplis illustrare. Sed cum  
haec res hanc scriptiōnem paulo diutius retardatura fuisset,  
quo minus exiret, nec mihi vltior procrastinatio concede-  
retur, hicpedem figo, in posterum eo elaboratus, vt non  
solum ex his, quae iam disputauī, sed etiam ex eorum vbe-  
riore et diligentiore cogitatione aliquis fructus ad adolescen-  
tes in scholis linguarum doctrina imbūendos perueniat. Ni-  
hil igitur refat, nisi vt DEO O. M. gratias, quas mens con-  
cipere potest, maximas agam, pro singulari clementia, qua  
labori huic ope sua efficacissima adesse, viresque meas  
non modo conseruare, sed, quum eae, quod ipse maxime  
sensi, admodum imbecilles essent, easdem confirmare atque  
augere voluit. Supplex eum obrector, ne has meditationes  
prosuls infructuosas esse finat, sed potius vt eum finem ad  
quem omnia dicta et facta referenda sint, qui ipsiusmet cul-  
tus et honor est, hac quoque quamvis levissima commen-  
tatione obtineri, iubeat clementissime.

F I N I S.

CLARISSIMO PRAENOBILISSIMO QVE  
HONORVM PHILOSOPHICORVM

CANDIDATO  
**FRIDER. MAXIMILIANO  
MAVRITII**

S. P. D.

**IOHANNES FRIDERICVS  
STIEBRITZ.**



*uanto copiosior in rebus ad te,  
CLARISSIME MAVRITII, per-  
tinentibus esse poteram; tanto  
breuior nunc ero, tum quod tem-  
poris angustia admodum sum cir-  
cumuentus, tum quod alii Viri  
venerandi, quorum maxima est auctoritas, in te lau-  
dando occupati fuerunt, tum quod nostris pariter atque  
aliis*

aliis iam satis cognitus et probatus es, tum denique  
quod modestia TVA, qua flores, apertas laudes non  
fert. Paucis itaque iis defungar, quae TE et TVAM  
dissertationem inauguralem tangunt. Habes, si TE  
contueor, plura singularia, quae vix in alio ciue acade-  
mico coniuncta conficiuntur. Primum est, quod inte-  
gro quinquennio ab anno MDCCXLII usque ad annum  
MDCCXLVI. haud interrupta diligentia inter nos ex-  
acto, scholisque Theologicis Virorum Venerandorum,  
BAVMGARTENII et KNAPPII, nec non Philosophi-  
cis Virorum Excellentissimorum, LANGII, MEIERI et  
meis, exercitationibus porro stili cultioris atque intro-  
ductioni in antiquitates græcas et latinas Viri post fata  
iure suo immortalis, IO. HENR. SCHVLZII, ac deni-  
que græcis et ebraicis celeb. IO. DAV. MICHAELIS  
tributo, in patriam quidem remeaueris, partim diu-  
turniori meditatione audita in succum quasi et sanguinem  
conuersurus, partim iuuenibus nobilibus docendis  
vacaturus, partim vero examen Candidatorum mini-  
sterii sacri sollempne superaturus; non autem prius desti-  
teris, quam occasionem nauctus ad nos reuertendi, vt et,  
quæ decessent, suppleres, et alios cum fructu erudires.  
Rediisti igitur MDCCLI. et praeterquam quod lectio-

nes Philosophicas, Philologicas et Theologicas repetieris,  
interfueristi etiam syriacis Viri Ven. Dn. D. MICHAELIS,  
nec non exercitiis disputatoriis Ven. BAVM GARTENII,  
celeb. MEIERI, et pl. ren. FREYLINGHAVSENII;  
quibus, utpote studiorum moderator aliis datus, aliquot  
praelectiones iuridicas Virorum Excellentiss. NET-  
TELBLADT II et HEISLERI adiunxit. Non vero  
satis esse putasti, TIBI Tuaeque curae commissis solum-  
modo interesse; sed etiam in eo cum laude elaborasti,  
ut alii ex ore TWO proficerent: immo, ut eo magis  
Commilitonibus exemplum praerires, ante hunc annum  
Praefide Ven. KNAPPIO diff. secundam de persecu-  
ranta credentium usque ad finem strenue defendisti.  
Alterum est, quod praeonitis sacri officium, ante ali-  
quot annos iam TIBI oblatum, una cum aliis mune-  
ribus, quibus deinceps admouendus, et p[ro]ae multis par-  
eras, nihil tamen minus recusaueris; qua in re TV  
miki videris aliter sentire, quam quidem illi, qui, eru-  
ditione Theologica vix a lumine salutata, officia nisi  
omnino venentur, tamen quam fieri potest submississime  
a Patronis sibi expetunt, saltim oblata non respuunt,  
parum aut nihil de reliquis omnibus cogitantes. Ter-  
tium est, quod, cum examini Incliti Ordinis Philosophici  
ante

ante hunc annum pro obtinendo gradu Magistri te siste-  
res, non vtcumque, non vni aut alteri examinantium,  
sed omnibus et prompte, et eleganter, et docte satisfe-  
ceris, omniumque calculos et plausus merueris. Quar-  
tum denique in morum suavitate, qua singulis places,  
atque haud fucata pietate, cui inter nos praeclaram  
dedisti operam, et qua insignibus TVIS projectibus sin-  
gulare pretium et decus conciliasti, pono. Quae omnia  
si apud animum meum perpendo, non possum non opta-  
re, vt plures TVI similes academia nostra simu suo com-  
pletetur! Sed venio ad dissertationem TVAM inaugu-  
ralem. Sicuti solus argumentum illius TIBI elegisti,  
ita solus etiam eam perfecisti, eo usque ut ne ullo qui-  
dem modo in laboris communionem venerim. Dedu-  
xisti omnia ex intimis principiis, proposuisti cuncta di-  
stincte, ordine et solide, adeo, vt nihil quidquam dubi-  
tem, TE quoque eam summa cum dexteritate esse de-  
fensurum. Mibi in praesenti nihil superesse video, quam  
vt TIBI egregios in litteris progressus, honores philo-  
sophicos mox capessendos, et vitam bene actam ex ani-  
mo gratuler, Deum Optimum maximum precatus, vt  
TIBI in posterum quoque ex alto benedicat, omnis ge-  
neris bona largissime jussiciat, munusque, quod apud


Min-



Mindenſes iam ſucepturus es, TIBI, ſcholae, ecclie-  
ſiae, et reipublicae litterariae felix fauſtumque eſſe  
iubeat. Quemadmodum quaecunque a me exspecta-  
ri queunt, TIBI quam amiciffime pollicor; ita amo-  
rem in me TVVM, quo me abſens proſequi velis, mi-  
hi indulgeas, eft quod vehementer rno. Vale et res-  
age feliciter! Dabam in Fridericiana d. XII. Aug.  
MDCCCLIV.








Halle, Diss. 1754

ULB Halle  
004 928 13X

3







Farbkarte #13

DISSESSATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS  
DE  
**METHODO SCIENTIFICA**  
E I V S Q V E  
**APPLICATIONE**  
AD  
**LINGVAS DOCENDAS**

Q V A M  
C O N S E N T I E N T E  
A M P L I S S I M O P H I L O S O P H O R V M O R D I N E  
P R A E S I D E A T Q V E P R O M O T O R E  
V I R O E X C E L L E N T I S S I M O , A M P L I S S I M O , D O C T I S S I M O  
D O M I N O

# IOANNE FRIDERICO STIEBRITZIO

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET  
CAMERALIVM PROFESSORE ORDINARIO  
LONGE CELEBERRIMO,  
PRAECEPTORE ET PATRONO SVMMA PIETATE  
AETERNVM COLENDO

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS

D. XVII. AVGUST. A. MDCCCLIV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B I I C I T

**AVCTOR RESPONSVS**

FRIDERICVS MAXIMILIANVS MAVRITII  
LOERRACO - BADENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI